5

DE INTEGRITATE ATQUE AUCTORITATE HEBRAEORUMQUE GRAECORUMQUE VTRIVSQVE FOEDERIS CODICVM DE ILLUSTRIORIBUS CHRISTIANAE RELIGIONIS DOGMATIS AC DE VETERE HISPANAE ECCLESIAE DIGNITATE DISCEPTATIONES PHILOLOGICAE

REVERENDISSIMO PATRI

IOHANNI THOMAE BOXADORSIO

ORDINIS PRAEDICATORUM

MAGISTRO GENERALI

CONSECRATAE.

A BENEDICTO FELIO A S. PETRO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM.



ROMAE MDCCLVII.

EX TYPOGRAPHIA IOHANNIS ZEMPEL PROPE MONTEM IORDANUM.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI

IOHANNI THOMAE
BOXADORSIO
UNIVERSI ORDINIS PRAEDICATORUM

SUPREMO MODERATORI

BENEDICTUS FELIUS A S. PETRO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM.



AXIMO atque immortali prorſus beneficio mihi contigit, ut, antequam pro mei Ordinis inſtituto ad tradendas litteras accederem, ex patriis Hiſpaniae finibus in Urbem vocarer, ubi tranquillo trium ferme annorum otio, optimorum Magiſtrorum copia, doctiſſimorum hominum frequentia & conſuetudine ſubiectis veluti facibus incenſus ad graviores diſciplinas acrius excolendas animum

vireſque omnes conferrem. Iam vero tandem reditum ad meos cogitanti, & publicum aliquod ſtudiorum meorum ſpecimen exhibere cupienti, in iis praeſertim, quae cum ad Linguarum Orientalium cognitionem, tum ad ſacram profanamque Hiſtoriam pertinent, iucundiſſima mihi non tam quaeſita, quam divinitus oblata videtur occaſio, qua Theſes haſce meas ampliſſimo Tuo nomini, Reverendissime Pater, inſcriberem, ſimulque publice & meo, & univerſae Scholarum Piarum Familiae nomine Tibi ex animo gratularer, quod Te unum Praedicatorum Ordini praeficiendum incredibili conſenſu, ſummoque totius Europae plauſu Comitiis ſuperiore anno celebratis ſapientiſſimi Patres delegerint. Quanta vero communis huius laetitiae pars mihi, Sodalibuſque meis contigerit nihil attinet longa oratione praedicare, cum ex ſingulari perſpectaque omnium noſtrum adverſum Tua merita obſervantia, Tuoque illo amore, quo Tibi Scholarum Piarum homines arctiſſime devinxiſti, palam ſit, & aperte intelligatur. Atque utinam is ego forem, qui monumentum aliquod magnis in noſtrum Ordinem abs Te, Tuiſque collatis beneficiis, Tuoque praeclaro nomine non indignum proferre poſſem, atque poſterorum memoriae commendare! Quamquam facile mihi ipſe ex ſingulari prorſus humanitate in nos Tua perſuadeo Tibi non omnino ingratum fore hoc qualecumque & ſtudiorum meorum, & noſtrae erga Te voluntatis argumentum, quod, licet meritis ac

vir-

virtutibus Tuis impar ſit futurum, tamen a me Tibi potiſſimum offerri, & conſecrari debuerat. Quis enim ignoret nihil Tibi poſt diſciplinae Monaſticae ſeveritatem, quam ſanctiſſime tueris, magis in deliciis eſſe, quam ingentem illum ardorem, quo in litterarum omnium, potiſſimum autem Hebraicarum Graecarumque, ſplendore amplificando ita multum excellis, ut nova inde ad praeclariſſimas Tuas laudes dignitas glorioſiſſime accedat? Cuius quidem rei plurima exſtant ad immortalitatem Tui nominis argumenta & Bononiae, & Neapoli, & in aliquot Calabriae Urbibus, & hic etiam Romae, ubi delectos viros, qui Linguas Orientales ingenuis Adoleſcentibus traderent, conſtituiſti, magniſque muneribus decoraſti, atque Adoleſcentes ipſos, quibus optime inſtituendis diligentiſſime ſtudes, ſplendide alendos curaſti; quorum multi hoc Tuo praeſidio fulti magno litterarum, Eccleſiae Catholicae, Tuique Ordinis bono nobiliſſime florent, ſuaque ipſorum eruditione ſeſe commendant. Magna profecto haec aeternaque apud omnes memoria digniſſima ſunt animi Tui ornamenta; nec ſcio an celebriora ſint ea, quae ad Antiquitates Eccleſiaſticas illuſtrandas contuliſti, cum viros aliquot merito quidem ſuo magnos eximiis beneficiis affectos, qui Tui Ordinis Annalibus caſtigandis recenſendiſque ſtudia omnia navarent, ſapientiſſime iam delectos mirifice foveris, alios praeterea deſignaveris, qui documenta vetera ſedulo evol-

verent, atque in ea accuratius inquirerent; alios demum, qui eruditissima Cl. hominum, quos magno numero tulit amplissimus Ordo Tuus, monumenta quaeque publici iuris facerent, novisque accessionibus exornarent. Quae cum ita sint, vereri certe non potero, ne altera illa studiorum pars, quae ad veteris Ecclesiae Hispanae dignitatem asserendam confirmandamque a me instituta fuit, Tibi minus probetur, cum praesertim ita natus sis ac comparatus, ut studia omnia Tibi carissima esse debeant. Nec vero Tuus hic amor in amoenioribus solum litteris, quae ad universam eruditionem sunt, promovendis & ornandis elucet, sed ad severiores quoque augendas disciplinas ardentissime fertur, atque Matheseos in primis, cuius facultatis Neapoli, alibique passim plurima a Te instituta Collegia Tuo patrocinio florere conspiciuntur; ut nihil proinde praeclarissima nullique inferior Praedicatorum Sodalitas ad splendidam absolutamque studiorum omnium rationem optare iam posse videatur. Haec Tua vero in doctrinas tum singulas, tum universas praesidia cum ab omnibus summis laudibus sint efferenda, tum maxime ab Hispanis commendari debent; cum Tu, REVERENDISSIME PATER, Tuae meaeque gentis gloriae amantissimus, auctoritate Tua, quae apud Maximos Principes, quibus generis splendore coniunctus es, plurimum valet, Tuaque sapientia ea omnia prudentissime praestiteris, quae certam nobis omnibus spem faciunt veterem

lit-

litterarum laudem apud Noſtrates confirmari atque amplificari poſſe; hoc praeſertim tempore, quo FERDINANDUS VI. Optimus Hiſpaniae noſtrae Princeps atque Clementiſſimus Parens regali prorſus munificentia litteras, iiſque deditos homines honeſtiſſime proſequitur. Haec cum omnia ſaepiſſime cogitare atque admirari ſoleam, praeclare mecum actum exiſtimabo, ſi notiſſimus ille Tuus in litteras amor id efficiat, ut dubitare non poſſim, quin me meorumque ſtudiorum rationem illuſtri gratia excipias, & hoc qualecumque obſequii in Te mei monimentum benigne complectaris, cum id tanquam ab univerſa Scholarum Piarum Familia, quam Tu ſingulariter amas, atque gratiſſima in Te Tuumque Ordinem voluntate profectum intelligas. Quod ubi pro Tua comitate praeſtiteris, non uberem modo laborum fructum ex Tuo auſpicio me conſecutum putabo, ſed alacriori quoque animo in poſterum ita contendam, ut maius aliquando monumentum conſecrari Tibi a me poſſe confidam.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Praedicatorum.



PARS I.

De Lingua Sancta, & Bibliis Hebraicis.

I. EMO est, qui in hodierna litterarum luce non videat, quantum intersit Christianae Reipublicae Hebraici sermonis studium cum Theologicis disciplinis coniungere, cum Religionis, eiusque mysteriorum cognitio ab eius exordio fideliter repetenda sit. Eo autem alacrius utilissimam provinciam amplecti solent Theologi, quo illustrius affulgent ipsius dignitas atque praestantia. Hebraeorum enim linguam ceterarum omnium [1] antiquissimam, & mundo aequalem esse luculenter ostendunt nomina primis hominibus locisque imposita, & quaedam ipsius vestigia, quae apud alios populos, eosque potissimum, qui Babyloni viciniores fuerint, deprehenduntur. His momentis adiecit Ioseph Scaliger (a) linguae puritatem atque simplicitatem, qua ratione inductus; *summam esse imperitiam*, ait, *si quis Syrorum linguam Hebraica antiquiorem esse velit*. Eadem argumenta in caussa sunt, cur mihi minus probetur Cl.

 Gro-

(a) Epist. 242. ad Rich. Thompson.

1 Chaldaicam ceteris praefert Georg. Amira in Praef. ad Gram. Syr. sequutus Theodoretum. Coniecturis utitur non contemnendis, sed quae cum argumentis nostris comparari non debent.

Grotii (*a*) ſententia, quae tenet primam linguam in idiomatum confuſione periiſſe, eiuſque reliquias tantum exſtare.

II. Cavendum eſt autem, ne adverſus Ieremiae (*b*) teſtimonium Chaldaica & Syriaca cum Hebraica lingua confundantur; haec enim longe ab illis diverſa: ſumme tamen coniuncta videtur Chananaeae ſeu Phoeniciae, cum qua una eademque haberi ſolet, magna Philologorum parte conſentiente. Eam opinionem tuentur Scaliger, Voſſius, Grotius, Capellus, Genebrardus, Seldenus; praecipue vero doctiſſimus Bochartus (*c*), qui ex Sanchuniathone, Herodoto, Ioſepho, Livio, Strabone, Plutarcho, Solino, Athenaeo plurima vocabula [1] Phoenicia Hebraeis omnino conſona uberrime collegit. Multa ea de re habet Auguſtinus, cuius tempore Afrorum lingua erat Punica ſeu Phoenicia; ſed omnium maxime illuſtris eſt Plauti locus ex Poenulo Act. V. Scen. I. *Ny thalonim*, *valonoth*; quae *Deos*, *Deaſque veneror* reddit Poeta; ſic ex Bocharto legenda: נא את עליונים ועליונות

III. Abraham primo a Chananaeis (*d*) dictus עברי *Hebraeus*, quaſi *tranſitor*, quia de regione trans Euphratem, quam prius incoluerat, in Chananaeam venerat, ut poſt Origenem & Hieronymum praeclare docent Recentiores fere [2] omnes cum doctiſſimo Hiſpalenſi Aria Montano, in Chaldaea degens priſtinam linguam una cum veri Dei cultu retinuit. Saeculis ſequentibus hanc ipſam puritatis ac elegantiae formam illa praeſetulit uſque ad captivitatem Babylonicam; quo tempore Iudaei vernaculam linguam miſere deturparunt, aut penitus amiſerunt; cum deinceps iam non amplius apud plebem ea valuerit. Templo autem inſtaurato & Iudaeis poſtliminio in terram patriam revocatis, Eſdras omnium eruditiſſimus characteres Hebraicos, qui ad illud uſque tempus iidem cum

Sa-

(*a*) In Geneſ. XI. (*b*) Ier. V. 15. Chaldaeis, & Aſſyriis comminatur; *Quorum linguam ignorabat Domus Iſrael*. (*c*) Geograph. Sacr. Part. II. L. II. (*d*) Geneſ. XIV. 13.

1 Punicam ſeu Phoeniciam fuiſſe linguam illam veterem, quam Hiſpani primo tenuerunt, priuſquam Romanorum imperio ſubiicerentur, multi ex noſtratibus, qui in hanc rem inquiſiverunt, egregie opinati ſunt; nuperrime vero Ludovicus Ioſeph Velazquez ex Academia Regia Hiſtor. in ſuo Libro: *Enſayo ſobre los Alphabetos de letras deſconocidas* Matriti 1752. ſummo eruditorum plauſu excepto.

2 Etymon alii deducunt ab Hebero Semi pronepote, quorum ſententia a me probari non poteſt, cum omni fundamento deſtituatur.

Samaritanis fuerant, loco movit, & divinas etiam Scripturas charactere hodierno, quem *quadratum* vocant, sapientissime instauravit. Id optime profecto tradiderant Eusebius (*a*), atque Hieronymus (*b*), quos feliciter illustrarunt Recentiores plurimis siclis & numismatis Hebraeorum ante Babylonicam captivitatem forsan cusis [1], & ex ruderibus Hierosolymorum effossis. Consulendi sunt Ludovicus Capellus in libro, quem de hoc argumento edidit, & Iohannes d'Espieres (*c*), qui hanc sententiam omnium approbatione receptam appellat.

IV. At multo adhuc antiquiores hodierni Hebraeorum characteres punctis vocalibus videntur; quae neque ad Mosem, neque ad Esdram, neque ad Synagogam magnam ullo modo referri possunt. Fateor equidem magni ponderis esse argumenta, qnae pro punctorum antiquitate vindicanda produxit Iohannes Buxtorfius adversus Capellum, quos inter magna animorum contentione pugnatum est; caussa nihilo tamen secius ille cecidit. Libros enim veteres etiam longe post Esdram sine punctis scribi solitos ab ipsis Capello, Altingio, & aliis harum rerum viris peritissimis perspicue demonstratum est; adeo ut id amplius inficiari, inquit Grotius (*d*), *non nisi pertinacium sit*. Reliquum ergo est, ut accentus, & puncta vocalia recenter a Massorethis Tiberiensibus, qui longo post Christum tempore floruerunt, inventa esse profiteamur. Ante puncta vero vicem vocalium substinebant litterae יאו, quae *Matres lectionis* dicuntur, non secus ac hodie Arabes omnes eisdem litteris اوي absque punctis legunt expeditissime.

V. Iam vero magnum Opus מסורה Masora, quod in Adnotationibus criticis circa Textum Hebraicum versatur, a diversis auctoribus, nec uno eodemque tempore, compositum esse apertissime constat; nec ulla fides adhibenda est Rabbinis, qui Esdrae, aut Sacris Scriptoribus illud assertum, nullo tamen producto documento, contendunt; ut vere Grotius

 pessi-

(*a*) In Chronic. ad an. Mun. 4740. (*b*) Comment. in Tit. III. ad Galat. III. & alibi. (*c*) Tract. I. de Bibl. Hebr. Dub. I.

(*d*) In Matth. V. 18.

1 Eorum unum nactus Arias Montanus, ut certissimum veritatis testem magni habuit, quem in ratione ponderum, & monetarum ineunda diligenter consuluit. In Apparat. Bibl. Lib. Tubal Cain. Nostri huius temporis viri Eruditi nullum siclum ante Simonem Macchabaeum cusum contendunt apud Calmetum ad Gen. XX. 16. Mihi vero adhuc sub iudice caussa pendere videtur.

pessimos Historiae magistros dixerit Iudaeos (*a*) . Primae observationes Massorethicae ad tempus Macchabaeorum, postquam exorta est Pharisaeorum secta , referendae ; aliae ad Rabbinos post-Talmudicos . Etsi autem in opere improbi sane atque stupendi laboris multa commendentur utilia , & ad Hebraicos Codices sartos tectos servandos valde opportuna [1] ; non pauca tamen occurrunt, quae nihil succi habent , nihil praeter Rabbinicam superstitionem olent ; ut litterae mediae legis , vel aliorum librorum adnotatio , litterarum etiam finalium , maiuscularum , minuscularum , inversarum, suspensarum , Mem clausae & apertae , & plura eiusmodi nugis quam simillima .

VI. Praecipuum inter Massorae partes locum sibi iure suo vindicant marginales notae קרי וכתיב *Keri* & *Ketib* multo quidem recentiores LXX. Interpretibus, aut Chaldaeo Paraphraste. Existimavit Arias Montanus , easdem in omnibus exemplaribus, & ab omni aevo absque ulla mutatione eiusmodi notas permansisse ; qua in re ab humana errandi conditione immunem non fuisse Montanum intelligo. Earum notarum enumerationem omnium accuratissimam exhibuit Capellus in sua Critica . Unde vero suam illae originem repetant pro comperto nondum habetur ; mihi tamen ortae videntur ex Codicum mendosa descriptione , & librariorum errore , vel ex quadam Iudaeorum *εὐλαβείᾳ* [2] . Ad ipsam hanc caussam merito refertur nominis Tetragrammatos יהוה pronuntiatio per אדני *Adonai* . Ita sane ab ipsis Apostolis ad haec usque tempora perpetua Ecclesiae praxi nomen illud efferri consuevit ; ut inter alia fidem faciunt Graecorum versiones, ubi *κύριος* ; Arabum , ubi الرَّبّ ; & Latinorum , ubi *Dominus* constanter redditur [3] . Quocirca lectio per *Iehova* , tanquam nova & insolens non videtur admittenda : quidquid id sit , ab omnibus

(*a*) Grot. in Matth. XXIV. 24.

1 Adesis Ar. Montan. in Praef. Tom. I. ad Bibl. Reg. & Iohan. Marianam in eruditiss. Tract. pro Edit. Vulg. C. X.

2 Excipiendas esse cum Sixto Amama lectiones נַעֲרָ & יְרוּשָׁלַםִ cuius rei rationem vide apud Walt. Prol. VII. ad Bibl. Polygl.

3 Alii aliter etiam extulerunt : Diodorus Siculus & Basilidiani per Ἰαω ; Tyrii per Ἰευώ ; Samaritani Ἰαβαί ; alii Ἰαὼ ; ut habes apud Grotium de Veritate Rel. Chr. Lib. I. §. XVI.

bus tamen eius nominis maieſtas atque ſignificatio ſuſpici debet tanquam ſublimis [1].

VII. Praeter Maſoram illud etiam antiquis Iudaeis refertur acceptum, quod ſuorum Maiorum traditiones litteris tandem conſignatas concluderent volumine illo, quod משניות *Miſnaioth* dicitur, & fuſiore adhuc ſtilo expoſitas Talmude Hieroſolymitano, & Babylonico. Libri Miſnaioth Auctor Iehuda Hakados centum viginti annis poſt excidium Templi floruiſſe fertur a Rabbinis, qui Comiti Mirandulano, Reuclino, aliiſque noſtrae Religionis viris celeberrimis nimium credentibus tantae antiquitatis fucum cariſſimo pretio vendiderunt [2]. Itaque cum Origeni, Epiphanio, Hieronymo prorſus fuerit ἄδηλος ſeu incognitus eiuſmodi liber; & S. Auguſtinus diſerte neget Iudaeis traditiones quaſcumque ſcriptas, tenendum eſt, librum circa ea tempora nondum exſtitiſſe. Porro ex Novella CLXVI., quam Iuſtinianus tulit an. Chr. 548., non obſcure deducitur, editum prope illa tempora Miſnaioth. Talmud Hieroſolymitanum antiquius non eſt ſaeculo Eccleſiae ſeptimo: Babylonicum completum ~~non fuit ex confeſſione~~ Rabbinorum, niſi abſoluto bello Iſmaelitarum cum Perſis, hoc eſt ſaeculo octavo. Tempore Talmud praecedente nulla mentio occurrit Karaitarum, qui confundendi non ſunt cum Saducaeis, Baethuſaeis, aut Samaritanis; qua in re Ioſeph Scaliger cum Rabbinis paſſim hallucinatur.

VIII. Quod ſi Iudaeorum traditiones tot fabulis deturpatae ad nos devenerunt, eſt quod illis gratulemur, qui tanquam *Capſarii* noſtri, ait lepide Auguſtinus (*a*), divino certe conſilio Sacros Codices ſinceros, puros, integros ad nos tranſmiſerunt, ut Iudaeorum pervicaciam ipſis eorum libris refellere poſſemus. Non me praeterit a multis ex antiquis Patribus [3] Hebraicos Codices veluti vetuſtate exeſos, & audaciorum hominum perfidia contaminatos improbatos videri. Sed multo ali-

 ter

(*a*) De Civit. L.X. C.46. & in Pſal. LVI.

1 Eſſe in hac voce τοῦ ὄντος ſignificationem vere obſervavit Philo.

2 Fuſe rem pertractat Iohan. Morinus exercit. Biblicis.

3 Praecipui ſunt Iuſtinus Martyr Dial. cum Tryphone. Iren. L. III. C. 24. Tertull. de habit. mul. cap. III. quos in ſpeciem tantum oppoſitos dixi, quod illi fortaſſis egerint unice adverſus Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, qui fuerunt recutiti Apoſtatae, ſuiſque verſionibus Scripturam perverſe depravarunt.

ter se res habet; quippe cum Origenes (*a*), Hieronymus (*b*), Augustinus (*c*) aperte profiteantur, Iudaeos nunquam suos Codices corrupisse, dubitandum non est, quin Textus eo tempore, & etiamnum in maioris momenti rebus a mendis conservetur immunis, adeo ut absurdum omnino visum fuerit Cl. P. Marianae S. I. (*d*), Testamentum in linguis, quibus primo commissum est, esse ullo modo contaminatum.

IX. Unicum fere argumentum contra doctrinam modo positam proferri solet ex Psal. XXII. 17. ubi כארי per summam impietatem textui insertum, & inde כארו sublatum quibusdam videtur. Ego vero nihil inde meam sententiam infirmari video; sive retineatur prima & vulgaris lectio; sive altera, quam praeseferunt Biblia Complutensia impensis Cardinalis Ximenii Archiepiscopi Toletani adornata. Quocumque tandem modo legatur, cum Graecis Interpretibus Ὤρυξαν *Foderunt* vertendum contendo. Producunt alii, ut depravatos hodiernos Codices arguant, תקון ספרים *Correctiones Scribarum*. Infirmum argumentum, quodque facile corruit; cum ipsi Iudaei (*e*) fateantur, loca illa a Scriptore Θεοπνεύστῳ correcta, & pristinae lectioni restituta.

X. Opponunt denique Tridentini Concilii Decretum, quo Vulgatam Latinam Sacrorum Bibliorum editionem unanimi consensu sapientissime Patres authenticam comprobarunt, & unam Christianis hominibus proposuerunt. Atqui ego gravissimorum Theologorum Salmeronii (*f*), Lainezii (*g*), Vegae (*h*), qui ex Hispania Concilio adfuerunt, auctoritate confirmare possum, Vulgatam editionem non Hebraicae, aut Graecae, sed reliquis Latinis, quarum magna copia & varietas in dies emittebatur, necessario illo & magno rei Christianorum publicae bono lato decreto praepositam fuisse. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Graecis Codicibus, fontibus scilicet, unde Latini omnes, ceterique manarunt, quidpiam auctoritatis detractum est. Stat adhuc eorum fides firmissimis praesidiis fulta; adeo ut omni iure Theologis liceat in rebus dubiis, aut obscuris ad pri-

(*a*) L. VIII. in Esaiam. (*b*) In Esai. VI.
(*c*) Locis citat. (*d*) Tract. de Vulg. Lat. C. IX.
(*e*) Masora Marg. num. XII. 12. locum ait unum ex correctionis עזרא Esdrae quem Scribam κατ' ἐξοχὴν appellant.
(*f*) Prolog. III. (*g*) Apud Marian. de Vulg. Lat. C. XX.
(*h*) L. XV. C. 9.

prima illa divini ſermonis exempla non modo ſine crimine, verum etiam cum laude provocare.

XI. Haud equidem diffiteor, menda quaedam leviora, & quae partibus inſint minime neceſſariis, in Textum Hebraicum irrepere potuiſſe, aut certe temporis iniuria vel librariorum negligentia irrepſiſſe, id quod in Vulgata etiam contigiſſe omnes intelligunt [1]; ſed haec vetuſtatem quidem divinorum Librorum produnt, non eorum poſſunt imminuere integritatem. Hoc ipſum indicant variantes lectiones, cuiuſmodi exſtant inter Rabbinos Ben Aſcher, & Ben Naphtali; inter Iudaeos Orientales, & Occidentales; hoc etiam Adnotationes criticae Maſſoretharum. Ubi animadvertendum, quod ſi duae lectiones concurrant, una in textu, in margine altera; haec *Maſſorethica* vulgo dicta firmum adverſus Iudaeos ſuppeditat argumentum. Ut autem in re aleae atque periculi plena effrenis ingenii hominibus modus aliquis definiatur, tenendus eſt Canon: *Ubi omnes authentici Codices in eandem lectionem conſentiunt, nefas eſt privatis Criticorum coniecturis aliam lectionem intrudere,* ~~*aut antiquam loco movere*~~.

XII. Unde Deuteron. XXXIII. 23. retinenda eſt lectio *Poſſide* ים ודרום *mare, & meridiem*; illa vero, quam Critici audaciores obtrudere tentarunt, ים מרום *mare Merom*, penitus reiicienda. Similiter Dan. XI. 2. verba illa Angeli הנה עוד שלשה מלכים עומדים לפרס והרביעי יעשיר עושר גדול מכל וכחזקתו בעשרו יעיר הכל את מלכות יון׃ *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus amplioribus opibus ditabitur, quam omnes; & cum invaluerit opibus ſuis concitabit omnes contra regnum Iavanis* recte ſe habent, nihilque adverſus Perſarum Hiſtoriam, aut Chronologiam continent; ut poſt vocem שלשה *quatuor*, ſuppleri debeat vox עשר *decem*; & poſt רביעי *quartus*, vox עשירי *decimus*, quod tamen contendit Clericus (*a*); egregius ſcilicet Interpres nodum violentis manibus ſecare maluit, quam ſolvere.

XIII. Planum ſenſum praeſeferunt verſus quintus, & ſextus Pſalm. XIV. qui ſic leguntur שם פחדו פחד כי אלהים בדור צדיק׃ עצת עני תבישו כי יהוה מחסהו *Ibi trepidaverunt timore,* quo-

(a) Ars Critic. P. III. Sect. I. C. XII. §. 14.

1 Patet ex correctionibus Sixti V. & Clementis VIII., & ex Luca Brugenſi, qui argumentum luculenter pertractavit.

quoniam Deus in generatione iusti . Consilium pauperis pudore afficietis, quoniam Dominus spes eius . Nulla heic depravatio, nulla lacuna. Quamobrem Psalmus ille confundi non debet cum Psalmo quinquagesimo tertio, nec id unquam obtinebit Clericus (*a*), etsi leges Grammaticas, & rationes metricas quascumque in subsidium insolentis opinionis contorqueat. Quis enim ullo modo ferat audaces illos Criticos, qui violentas Hebraicis divinis Codicibus passim manus inferunt, & multo verecundius Ciceronianos, aut Virgilianos libros, quam sanctissima Biblia pertractant?

XIV. Psalmus CXLV. ad leges carminis acrostici videtur concinnatus, ita ut litteris versuum initialibus alphabetus Hebraicus ordine per quam eleganter effingatur. Versus tamen, qui a littera נ *Nun* incipiat, non invenitur in Codicibus Hebraicis, a quibus non est dubitandum quin exciderit librariorum culpa, inquit Grotius, & Flaminius Nobilius. Sed errant magni alioquin viri versione Graeca decepti, in qua legitur Πιστὸς κύριος, cui Hebraice respondet נאמן יהוה *Fidelis Deus*, unde etiam irrepsit idem versus in Latinum, Syrum, & Arabem. Cum enim nulla possit reddi ratio, cur librarii versum hebraicum ad carminis integritatem alias opportunum omiserint; reddatur vero, cur a Graecis ille fuerit insertus, tenendum est, nunquam apud Hebraeos extitisse. Quare neque Hieronymus habet, & in Scholiis Romanis legitur Ὠβέλισαι ἢ τὸ, πιστὸς κύριος, δι' ὅλου τοῦ στίχου μήτε παρ' ἑβραίοις φερομένου, μήτε μὴν τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς *Illud*, Fidelis Dominus *per totum versum notatur obelo, cum neque apud Hebraeos feratur, neque apud alios Interpretes.*

XV. Librorum antiqui Foederis integritate constituta, sponte quadam memoriae occurrunt plurima loca, quibus praecipua Christianae Religionis dogmata illustrantur, & Iudaeorum refellitur pervicacia. Principio quidem Divinarum Personarum pluralitatem, a qua illi maxime abhorrent, illud adstruit, quod iam inde a Christianismi exordio adferri consuevit, Genes.I.26. ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *Dixitque Deus: Faciamus hominem in imagine nostra secundum similitudinem nostram.* Contendunt Rabbini pluralitatem, quam textus praesefert, ad Angelos referri. At oporteret Angelos aut

(*a*) Ars Crit. ibid. C. XVI. §. 12.

Deo pares, aut esse mundi Creatores; quod quam sit absurdum nemo non videt. Argumentum hoc ea ratione versatum eludere non poterunt Iudaei, quibus contra nullum negotium facessit verbum אלהים *Elohim*, quo uti vulgo solent nostri Interpretes.

XVI. Multo gravius perstringit Iudaeos locus petitus ex Prov. C. VIII. 22. יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז וגו׳ *Dominus possedit me* (nec dissentiunt LXX. Interpretes, apud quos forsan ex librariorum oscitantia legitur ἔκτισε *creavit*, pro ἐκτήσατο *possedit*, ut habent Aquila, Theodotion, Symmachus) *principium viae suae, ante opera sua ex tunc*. Quae verba si semotis animi perturbationibus serio perpendantur, non de Lege Moysis, ut Rabbini fabulantur, sed de Sapientia increata, quae vera sit persona, intelligantur necesse est. Atque hic idem ipse locus est, quem Ariani offendentes ad impium dogma detorserunt, ita ut vellent verbo קנה *creationem* non *generationem* significari: quorum perversam interpretandi rationem Graeci Latinique Patres (a) sapientissime confutarunt.

XVII. Aeternitatis attributum, Sapientiae increatae necessario coniunctum, evidenter indicant ea, quae ibidem sequuntur מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ *Ab aeterno principatum habui, ab initio ante terram*. Universi Opificium ipsi etiam adscribitur v. 27. בהכינו שמים שם אני *Quando ille parabat caelos, ibi ego*. & v. 30. ואהיה אצלו אמון *Et eram apud eum Nutricius*; seu cum Sancto Hilario & Vulgata Latina *componens*. Clarius adhuc elucent divinitatis characteres in iis, quae postremis versibus habentur: אשרי דרכו ישמרו *Beati qui custodient vias meas*, & quae sequuntur. Propius rem ipsam persequamur Messiae divinitatem ostensuri, ne cultum, quem ipsi tribuimus, nobis unquam obiiciant Iudaei.

XVIII. Apertissime quidem intelligitur Messiae excellentia ex Psalmo Secundo, qui totus ad eius divinitatem ostendendam videtur comparatus; tum ea maxime affulget. v. 7. יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Eludere nequeunt Iudaei haec verba, quae non de alio [1], quam de Christo dicta esse,

 con-

(a) Videnda sunt ea, quae a S. Hieronymo heic, & in Esa. XXI. Mich. IV. Ephes. II. & Epist. CXXXIX. praeter ea, quae a S. Hilario, Tertulliano, Lactantio, & ceteris Patribus afferuntur.

1 Nam quod Grotius de V. R. C. L. V. §. 22. in Davide rudi quodam modo Psalmum hunc impletum dixerit, minus caute fecit, qui alioquin excellentius ad Messiam pertinere testatus est.

constat ex Act. Apost. IV. 24., & Epist. ad Haebr. I. id quod & Rabbini fere omnes (*a*) cum Kimchio & Ionathane fatentur. היום *Hodie* adverbium est aeternitatis, quod iam olim animadverterat S. Augustinus. Quo posito testimonio naturalis Messiae generatio a Deo Patre evidenter concluditur. Eorum verborum v. 12. נשקו בר verus sensus est: *Osculamini filium*. [1] Adiecit huic explicationi suffragium suum Hieronymus in Apologia contra Ruffinum.

XIX. Praeterea docet Apostolus (*b*) de Messia intelligendum illud Psal. XLV. 7. 8. כסאך אלהים עולם ועד שבט מישור שבט מלכותך אהבת צדק ותשנא רשע על־כן משחך אלהים אלהיך *Solium tuum o Deus in saeculum & perpetuum; virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus*. Itaque cum ea verba עולם ועד aeternitati significandae apposita sint, Salomoni nequaquam aptari poterunt, sicut Iudaeorum aliqui comminiscuntur; sed uni tantum Messiae, quod agnovit & ipse Chaldaeus Paraphrastes (*c*).

XX. Illustrius autem & quasi graphice expressit veros Messiae characteres idem Propheta Psal. CX., ubi divinitas, regia potestas, sceptrum ex Sione in ultimas oras perventurum, sacerdotium aeternum Messiam haud dubie patefaciunt; nec aliter intellexerunt vetustiores Hebraei & Paraphrastae (*d*); ideoque mirum quantum recentiores Iudaei hallucinantur, dum ad Abrahamum, Davidem, aut Ezechiam verba illa detorquent. Quae leguntur v. 4. אתה כהן לעולם על דברתי מלכי־צדק *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedek* explicata ab Apostolo (*e*) excellentem Messiae sacerdotii praestantiam evincunt, proinde seiungi non debent, ut voluit Grotius (*f*), verba מלכי־צדק, ac si essent appellativa; cum nomen Melchisedeki proprium referant, qui fuit verus homo [2] regia simul ac Sacerdotali dignitate praeditus, genere Chananaeus.

XXI.

(*a*) Apud Grotium loc. cit. (*b*) Ad Hebr. I. (*c*) Ex nostris videndi Eusebius, atque Hieron. ad Principiam. (*d*) Rabbi Saadia, & R. Ionat. in ברשית רבה.
(*e*) Ad Hebr. VIII. (*f*) Ad hunc loc. vertit *Secundum meam constitutionem, o rex mi iuste*: quam tamen versionem & traditioni, & legibus Grammaticis adversantem reiicio.

1 In Bibliis Ferrariensibus ex Hebraea in linguam Hispanicam a Kimchio forsan, aut ab Abrahamo Usque (Vid. Biblioth. Iacobi Le Long Paris. 1723. T. I. pag. 364.) magna fide redditis, atque Amstelodami an. Iudaico 5371. recusis, exstat eodem plane sensu eiusmodi versio: *Besad hijo, por que no se ensañe &c.*

2 De Melchisedeko tot fabellae confictae, quod in textu dicatur sine Patre & sine

XXI. Habentur v. 3. מרחם משחר לך טל ילדתך, quae si iuxta Septuaginta Interpretes reddantur *ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε ex utero ante luciferam genui te*; de aeterna Filii generatione, accedente Patrum auctoritate, accipienda erunt. Ego quidem textum Hebraeum pressius persequens, verto *ex utero & ab aurora tibi ros nativitatis tuae* [1], atque humanam & temporalem Messiae generationem eo loco Prophetam intellexisse mihi ipsi facile persuadeo. Ubi non obscure partus etiam Virginis videtur praesignatus. Sed clariora, quae profundissimum Mysterium suadent, adducam argumenta.

XXII. Quoniam autem Hebraei [2] nobiscum consentiunt posse a Deo humanam naturam assumi, atque ex ipsorum etiam confessione [3] Messiae Divinitas congruit, non nisi ex Matre virgine eius ortus admitti posse videtur. Perspicue id declarat Isaias VII. 14. הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנו אל *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Celebrat Propheta conceptionem illam ut miraculo simillimam; puero nascituro ea adsignat C. IX. attributa, quae Messiae tantum convenire poterant. Quid ergo ad Ezechiam superius recensitum oraculum referri posse contendit Barnabel? Evincitur quoque Messiae Matris Virginitas ex nomine ipso העלמה, quod nunquam in sacris Codicibus invenitur, ubi Virginis non exprimat notionem, ne Prov. quidem XXX. 19. excepto, quo loco Rabbini, quasi de parta victoria, insolenter gloriari solent. Eodem plane sensu accipitur in lingua Punica, Versionibus Chaldaica, Arabica, & Septuaginta Graecis consentientibus. Praeclare de hac re disputat Hieronymus.

XXIII. Itaque Messiam in Lege promissum iamdudum venisse adeo ex divinis Scripturis manifestum est, ut & Iudaei ipsi,

 nisi

sine Matre Hebr. VII. At videant quo modo locum illum vertit Arabs لا اب له لا ام له غير محسوبة نسبته *Nec Pater ei nec Mater genealogiae haud supputatae*.

1 Eisdem fere verbis reddunt Aquila, Symmachus & *Quincta* Editio.

2 Rab. Salom. quod revera in mundi exordio factum existimat. Talmud titul. Schebuot, & Sabbathoth.

3 Patet ex dictis; tum etiam quod augustum illud Deique proprium nomen יהוה Ionathan, David Kimchi Christianis alioquin infensissimus ad Ier. XXIII. Rabb. Abba in Ecka Rabt. Messiae tribuunt; cuius tempore futurum, ut Deus יהוה digilo monstraretur, ait Talmud in Iohan. & Isai. XXV.

nisi eorum obstinatissima voluntas obsisteret, facile perspicuam veritatem agnoscere possent. Celeberrimum est Iacobi vaticinium Gen. XLIX. 10. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים *Non recedet virga de Iuda, & legislator de inter pedes eius, usquequo veniat Silo, & illi obedientia populorum*. Verbum *Iuda* ad solam tribum Iudae a Iudaeis refertur, quibus ultro citroque assentior; immerito tamen illi per שבט aut *tribum* aut *virgam* afflictionis intelligi volunt contra veterum omnium Interpretum auctoritatem; quorum Aquila σκῆπτρον *sceptrum* reddit, ubi LXX. Senes ἄρχων *Princeps*, Symmachus ἐξουσία *Potestas*, Chaldaei שלטן eodem plane sensu.

XXIV. Vox שילה aliter ab aliis explicatur; una tamen eademque est omnium sententia, eo videlicet nomine Messiam indicari. Quare, ut recentiorum Iudaeorum commenta refellantur, opus non est lectionem novam שילח intrudere cum Grotio, Huntlaeo, & Morino; & illam tota antiquitate receptam expellere. Absit eiusmodi hominum temeritas, cuius notam multo gravius subeunt illi, qui עד־כי dividi debere contendunt: sed eorum imperitiam satis superque revincunt Onkelos, Ionathan, Aben Ezra, immo & ipsae apud omnes Grammaticos statae leges. His iam constitutis, perspicue apparet summam potestatem ex tribu Iuda non defecturam, nisi Messia adveniente. At ea iampridem in Herode alienigena sublata est: venit igitur circa id tempus Messias, qui est Iesus Nazarenus.

XXV. Occurrit nunc locus Danielis IX. 24., quo nihil illustrius adversus Iudaeorum pertinaciam optari poterat. Praefatur autem Gabriel in hunc modum שבע שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא הפשע ולחתם חטאות וגו׳ *Septuaginta Hebdomadae decisae super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuae ad consummandum praevaricationem, & ad sigillandum peccata*. Eiusmodi oraculum de Messia intelligendum esse patet tum ex ipso textu, ubi משיח non semel nominatur; tum ex Rabbinorum confessione, quorum testimonia profert rerum Hebraicarum peritissimus Raymundus Martinus Barcinonensis Ord. Praed. in suo Fidei Pugione. *Hebdomades heic intelliguntur de annis*, scribit Aben Ezra, cui Hebraei adstipulantur. Illarum enim septuaginta nondum expletis promittitur certo

ven-

venturus Messias. Cum autem illae iampridem exactae fuerint, eo videlicet tempore, quo vixit Iesus Nazarenus, in eum tanquam verum Messiam praedictum cadat Vaticinium necesse est; quocumque tandem modo initium Hebdomadarum iuxta diversas Chronologorum opiniones statuatur. Mihi vero probabilior videtur eorum supputatio, qui Epoches exordium ab anno septimo Regni Artaxersis Longimani repetendum existimant; videlicet מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum & ad aedificandum Ierusalem*.

XXVI. Urgent similiter Hebraeos ea, quae habentur apud Aggaeum C. II. 8. & 10. ובאו חמדת כל הגוים ומלאתי את הבית הזה כבוד *Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum hanc gloria*. Paullo post גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון *Major erit gloria domus istius novissimae, quam primae*. Loquitur scilicet Propheta de Templo secundo a Zorobabele & Iesu Iosedecide excitato; in quod quidem venire debuisse Messiam vi oraculi colligunt Rabbi Akiba, multique alii, teste Rabbino Salomone. Venit ergo Messias ante devastationem Templi, quae contigit tempore Vespasiani: alioquin Templi posterioris gloria nec maior esset, nec ullo modo cum Templo priori conferri posset.

XXVII. Itaque cum in dictis Vaticiniis, pluribus aliis praetermissis, adeo perspicue tempus adventus Messiae definiatur; nihil mirum, si Magister Hebraeus Nehumias (*a*), qui annis quinquaginta Iesum Nazarenum praecessit, iam tum aperte dixerit non posse ultra eos quinquaginta annos tempus Messiae a Deo protrahi; & Rabbi Iosue, qui excidium Templi vidit, Messiae tempus advenisse fateretur, ut testatur Rabbi Iacob in Caphthor. Sane eam opinionem Iudaeis omnibus fuisse notam & pervulgatam id demonstrat, quod circa illa tempora non unum tantum Messiam illi susceperint; multi Herodem, ut habes apud Tertullianum (*b*), & Epiphanium; alii (*c*) Iudam Gauloniten, alii alios, referente Iosepho (*d*). Ferrei sint necesse est Iudaei, nisi eiusmodi argumentis convicti Messiam iampridem advenisse fateantur; suspiciantque

(*a*) Apud Grotium de Ver. Relig. Lib. V. §. XIV.
(*b*) Tertull. in Haeret. enumeratione. Et colligitur ex Matth. XXII. 16.
(*c*) Consule Iosephum XVIII. 1. Act. V. 36.
(*d*) Actor. XXI. 38. & Ioseph. ibid.

Iesum Nazarenum, cuius res gestae adeo vivide veros Messiae characteres referunt, ut dubitari impune non liceat, quin ille sit, quem Lex & Prophetae praedixerunt, verus Deus & Homo, Mundi Salvator atque Redemptor. Hanc propositionem egregie persequutus est, & pluribus demonstravit Adolphus Groll a S. Georgio mei Ordinis Schol. Piar. Praepositus Generalis, & mox Iaurinensis in Hungaria Episcopus, in suo Libro *Testis & Doctor* typis vulgato, quem studiose consulant Rabbini, nec eos huius laboris unquam poenitebit.



PARS



P A R S I I.

De Verſione LXX. Interpretum, & Novo Teſtamento Graeco.

I.  NTER Graecas Veteris Teſtamenti Verſiones principem locum iure ſuo ſibi vindicat celebris illa ſeptuaginta duorum Interpretum, cui ſummum honorem tam Iudaei, quam Chriſtiani conſtanter detulerunt. Eius Verſionis Hiſtoriam litteris conſignatam primus omnium poſterorum memoriae commendavit Ariſtaeas, vir & ſapientia & dignitate apud Graecos celebratiſſimus. Librum, qui eius Hiſtoriae fons habetur, longa ſaeculorum ſerie Ariſtaeae tributum in dubium nuper revocavit magnus ille Valentinus Criticorum facile princeps Ludovicus Vives(*a*), inde Ioſeph Scaliger(*b*) eundem tanquam a Iudaeis Alexandrinis confictum praepropere proſcripſit. Nihil tamen illi habent, quod antiquiſſimi monumenti auctoritatem deprimere poſſit, ut merito Iſaacus Caſaubonus in Graecis Scriptoribus verſatiſſimus dixerit (*c*), librum Ariſtaeae vindicandum eſſe, Auctori videlicet, qui rebus geſtis interfuerit.

II. Itaque ſapientiſſima Seniorum ſocietas ex omnibus

A 12 Iu-

(*a*) In Auguſt. de Civit. Dei L. XI. C. XLII. (*b*) Ad an. Euſeb. 1730.
(*c*) Apud Walt. Pol. T. I. Prol. IX. §. 4.

Iudaeis ab Eleazaro supremo eorum Antistite delecta, potentissimi Regis Ptolomaei Philadelphi iussu, Versionem sacrorum Bibliorum ex Hebraica in linguam Graecam brevissimo dierum spatio perfecit: quod non ita quidem contigit, ut septuaginta viri illi totidem cellis includerentur, quam fabellam iam olim Hieronymus (*a*) explosit; sed ita ut in una Basilica congregati, quidquid expendendum esset, omnes inter se conferrent, Aristaea, atque Iosepho narrantibus. Totam veteris Testamenti Scripturam, neque solum Pentateuchon [1], quod plerique Iudaeorum ex Talmude asserunt, tunc graece redditam fuisse, Aristobuli (*b*), Iustini Martyris, Eusebii testimonio pro comperto habetur. Exploratum est etiam, & omnium Veterum consensione firmatum Codices puros putos Hebraeos ad versionem adornandam ab Interpretibus adhibitos esse; adeoque merito refellendi sunt Recentiorum nonnulli, qui Samaritanos, aut Chaldaeos Codices in scenam produxerunt.

III. Idem ipsum Versionis LXX. Seniorum αὐτόγραφον, sententia est Tertulliani, Iustini, & Chrysostomi, suis temporibus in Serapeo exstitisse: hinc veri simile videtur illud ex flammis Ptolomaei Bibliothecam incendentibus ereptum in ea, quam ibidem Cleopatra construxit, repositum fuisse. Quod si minus probetur, certo liquet, quemadmodum Aristaeas & Iosephus tradunt, Iudaeos Alexandrinos, permittente Demetrio, plurima exemplaria ex autographo descripsisse. Unde patet, qua via eadem illa Graecorum Versio ad nos usque descendere potuerit; atque imperite a quibusdam Recentioribus alteram versionem Graecam Philometoris tempore factam confingi, quaeque in locum Septuaginta succreverit. Quae cum ita sint, & exemplaria eius Versionis, quae Apostolorum, omniumque Ecclesiarum usu quodammodo consecrata videtur, genuina supersint; quis furor invasit recentes Scriptores, qui in antiquissimum opus, & ipsa canitie venerandum immaniter debacchantur; atque passim LXX. viros tanquam Hebraici Textus adulteros criminantur?

IV. Non inficior Graecos Codices hodiernos quasdam sordes contraxisse, suosque naevos habere; id quidem vetustatis indi-

(*a*) Praefat. in Pentateuchon. (*b*) Leg. Eusеb. Praep. Ev. L.I.

1 Hieronymus cum in hanc sententiam propendere videtur non ex propria, sed ex Iudaeorum opinione loquitur; nam ille in Comment. in Proph. in Epist. ad Suniam, & Fretellam, & Lib. II. contra Ruffinum cum aliis Patribus consentit.

indicium est; eorum tamen auctoritatem ita temperat, ut etsi summam non eam habeant Catholici, magnam aperte dicant, & profiteantur. Neque aliud forte voluit Hieronymus, dum Graecam ipsam Versionem minus vereri videtur; cum in Apologia contra Ruffinum ingenue testetur, *se nunquam LXX. Interpretibus tantillum voluisse detrahere*. Iudaeis ipsis tantopere probatum olim fuit illud opus, ut per Asiam, Graeciam, & Ægyptum publice in Synagogis apud eos legi consueverit; quemadmodum luculenter ostendit Scaliger in Eusebianis. Quapropter ieiunium, quod propter legem Graece redditam quotannis (*a*) celebrandum indicitur, & tenebrae, quae tribus diebus tunc temporis (*b*) terris incubuerint, putidissima recentiorum Rabbinorum commenta sunt.

V. Versionis Graecae obtrectatores adversus eam opponunt ingens illud discrimen, quo a Chronologia Textus Hebraici recedere videtur. Nam quod Iohannes Morinus Graecam computationem cum Hebraica conciliare voluerit, laudandus quidem esset, si conatui exitus responderet. Itaque discrimen illud agnosco, atque Hebraeorum calculum probandum esse contendo; nihilominus septuaginta Interpretes incussare non audeo, nec ab illis originem errorum repetere. Vetustas enim ipsa non parum Chronologiam perturbavit, ut vel unico Mathusalemi exemplo intelligi potest. Ille quidem in hodiernis Codicibus tranquillam ducens vitam post diluvium ponitur; qui tamen error non nisi post Origenis tempora Graecos Codices invasit, ne omnes quidem, cum Augustinus (*c*) asseruerit, in aliquibus Codicibus veracioribus suo tempore inveniri, Mathusalemum sex annis ante Diluvium vita fuisse defunctum.

VI. Maioris ponderis illud est, quod Cainanem inter veteres Patriarchas (*d*) recenseant septuaginta Interpretes. Hoc autem nomen recenter assutum videtur magni nominis Criticis (*e*), quod nec in Textu Hebraico, nec in Vulgata Latina, nec in aliis Versionibus legatur. In hanc ultro sententiam concederem, nisi Lucas (*f*) in suo Evangelio eiusdem etiam nominis mentionem iniecisset. Si mihi liceret opinari cum Grotio nomen τοῦ Καϊνὰν librarii alicuius errore in eum locum intrusum fuisse, facile me ab implicatissima difficultate expedi-

A 13

(*a*) In Calendario Iudaeorum octavo Mensis Tebith.
(*b*) Talm. tract. Sopher. (*c*) Quaest. XI. in Genes. (*d*) Genes. X. 24. & XI. 12. (*e*) Grotio in Luc. C. III. 36. (*f*) C. III. 36.

direm . At vero amplecti non possum id, quod nimis libere dictum existimo. Reliquum igitur est, ut asseram, potuisse Lucam, Scriptorem Θεόπνευστον, nomen illud supplere, quod iam LXX. Seniores ex constanti Iudaeorum traditione in textu reposuerant, quodque Moses salva historiae fide non una de caussa praetermiserat. Nihil heic a me positum est, quod nequeat multis argumentis confirmari.

VII. In versione τῶν ό verbis illis Psalmi XCV. *Κύριος ἐβασίλευσε Dominus regnavit* additum olim fuisse *ἀπὸ ξύλου a ligno*, luculentissimi testes sunt Iustinus Martyr, Tertullianus, Augustinus, Cyprianus, Leo Magnus, Psalteria vetera Romanum, & Gothicum. Num vero eius vocabuli accessio veteribus Christianis, ut Iudaeos hinc premerent, an potius ipsis LXX. Interpretibus tribuenda sit, quaestio est, quam ego definire non audeo; etsi hanc alteram partem longe verisimiliorem crediderim, cum Interpretes non semel paraphrastas egisse, omnibus compertum sit. Eius rei exemplum peti potest ex verbis Psalmi XCI. מקטב ישור צהרים *Ab excidio, quod vastabit meridie*; quae quidem LXX. reddiderunt per *incursum* & *δαιμόνιον μεσημβρινὸν Daemonium meridianum*. Haec enim explicatio, quae Graecos & Latinos Patres diu multumque vexavit, egregie Hebraicam locutionem refert, & ex opinione, quae tunc temporis apud Ethnicos etiam versabatur, & quam nobis tradiderunt Callimachus Cyrenaeus (*a*), Theocritus (*b*), Lucanus (*c*) multum illustrari potest.

VIII. Graecum Novi Foederis Textum integrum, & purum esse, non secus ac Veteris Hebraicum, eodem omnino iure defendo. Itaque etsi menda leviora, & lectionum varietas temporis iniuria irrepserint, summam tamen fidem ei praestare debemus. Unde si quando apud Latinos quaestio exoriatur, & inter exemplaria nostra varietas occurrat, recurrendum ad fontem Graeci sermonis, cui Novum Testamentum primo traditum est: quod suo tempore monuit Hieronymus, & etiamnum sapientissimi quique Catholicorum. Scio mihi obiectum iri ab aliquibus, Apostolorum & Evangelistarum αὐτόγραφα non amplius hodie superesse: at nihil hinc in meam sententiam, cum non liceat dubitare, quin hodierna Grae-

(*a*) Hymn. in Lav. Palladis v. 71. (*b*) Idyll. I.
(*c*) Libr. III. de luco ad Massil. sito.

Graeca exemplaria ipſis plane autographis reſpondeant. Praeſertim cum vetuſtiſſimi Codices, & emendatiſſima exemplaria noſtris hiſce temporibus exſtent, inter quae principem locum iure obtinet exemplar Complutenſe a Cardinali Ximenio primo editum, inde in Bibliis Regio-Hiſpanicis recuſum. Celebrantur & ſexdecim illa, quibus uſus eſt Cl. Hiſp. Marchio Veleſius Petrus Faxardus, quorum octo erant ex Bibliotheca Regis Hiſpaniae Laurentiana: tantum abeſt, ut manuſcriptos Codices ad normam Vulgatae refinxerit, quod ipſi per ſummam calumniam exprobrat Clericus (*a*), qui leviſſima coniectura permotus auſus fuit in virum graviſſimum Faxardum petulantius inſultare, tum & in doctiſſimos viros Iohannem Marianam (*b*), & Ludovicum de la Cerda (*c*), qui varias illas lectiones plurimi ſemper habuerunt.

IX. Inferioris notae quidam Graeci Codices omiſſam a Marco Reſurrectionis hiſtoriam volunt, quod vitio librariorum, qui inter Marcum & Matthaeum hac in parte intereſſe ἄσπονδον πόλεμον imperite putarunt, tribuendum: hanc eandem omiſſionis cauſſam reddit & ipſe Hieronymus (*d*). Atqui in Codicibus purioribus & hodie Graeci integrum illum locum recenſent, & olim etiam exhibuerunt, ut ex Patribus Irenaeo (*e*), Athanaſio (*f*), Theophylacto (*g*) certiſſime agnoſcitur. Quocirca nefas eſſet dubitare, quin tota illa pars a verbis illis ἀναστὰς (comprehenſis etiam iis ἐφοβοῦντο γὰρ) genuina ſit, & apud Graecos ſemper exſtiterit. Similiter quod legitur in Luca (*h*) Ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν· καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο. Ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν *Apparuit autem illi Angelus e caelo confortans eum; & factus in agonia intentius orabat. Factus eſt autem ſudor ejus ſicut guttae ſanguinis decurrentes in terram*. Haec autem commata tametſi olim defuerint in quibuſdam Graecis libris, teſtibus Hilario (*i*), & Hieronymo (*k*); hodie tamen in omnibus exſtant Graecis, Latinis,

(*a*) Ars Critic. P. III. Sect. I. C. XVII. §. 35. (*b*) Pro Edit. Vulg. C. XVII. (*c*) In Adverſar. C. XCI., ubi & illas recenſet. (*d*) Epiſt. CL. ad Hedibiam quaeſt. III. qui & L. II. adverſus Pelag. C. VI. aliam rationem producit, in Manichaeorum audaciam cauſſam refundens. (*e*) L. III. adv. Haer. C. XI. (*f*) In Synop. divinae Script. (*g*) In Comm. ad eum locum. (*h*) C. XXII. 43. 44. (*i*) L. X. de Trin. (*k*) L. II. adver. Pelag. C. VI.

nis, Arabicis; ut certe iam palam ſit temere aliquando fuiſſe a quibuſdam omiſſa.

X. Verſum ultimum Capitis VII. Evang. Iohan. καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ad duodecimum uſque Capitis ſequentis, ubi hiſtoria mulieris in adulterio deprehenſae refertur, omiſerunt olim quidam Graeci Codices, ut ex Euthymio habetur: quod cauſſam dedit Hugoni Grotio (*a*), ut eam a Iohanne Graece ſcriptam negaret; aliis vero Theologis, ut fidem Graeci Textus incuſſarent. Ceterum nihil eſt cur hinc praeſidium petant adverſarii. Nam in paucis Graecis exemplaribus deerat hiſtoria illa, in multis contra legebatur etiam Hieronymi (*b*) tempore: deerat autem in aliquibus, quia ab haereticis (Novatianis forte) fuerat, Auguſtino (*c*) aſſerente, ſublata. Quid ergo ſaepius retuſam calumniam in Graecos Codices otioſi homines iterum opponunt? Illorum autem integritatem egregie confirmat id, quod habet Socrates (*d*), ab initio ſcilicet ſcriptum fuiſſe Iohan. Epiſt. I. C. IV. 3. Πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum*, pro eo quod nunc eſt Πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν *Omnis ſpiritus, qui non confitetur Ieſum*; illudque a Neſtorianis confoſſum: quandoquidem eius lectionis antiquitas non ex Latino tantum interprete, ſed etiam ex Irenaeo (*e*) intelligitur. Itaque toto caelo errat Grotius, qui arbitratur id mutatum, ut Gnoſticos illos refelleret, qui alium dicebant eſſe Ieſum, alium Chriſtum, alium Μονογενῆ.

XI. Aſſeritur etiam Graecorum librorum auctoritate verſus ſeptimus Ep. I. Iohannis C. V. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατήρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*, quo invictiſſimum adverſus Unitarios argumentum continetur. Neminem ignorare arbitror Eraſmi, & Richardi Simonii contra laudatiſſimum teſtimonium conatus; quos tamen omnino irritos fuiſſe oſtenderunt ex Catholicis doctiſſimi Theologi, qui eius rei teſtes Graecos potiſſimum libros attulerunt. Sed & celeberrimi Scriptores Blanchinus, & Marchio Maffeius tantam lucem ſententiae Catholicae addiderunt, ut materies omnis contro-

(*a*) Ad hunc locum. (*b*) Hier. ubi ſupra, vide & Athan. in Syn.
(*c*) L. II. de adul. coniug. C. VII. Adeſis Lucam Brugenſem ad hunc locum.
(*d*) Hiſtor. Eccleſ. VII. 32. (*e*) L. III. 18.

troversiae penitus ablata videatur : ille enim Magnum Athanasium eius testimonii patronum produxit (*a*), hic autem Cassiodorum (*b*).

XII. Satis superque, ni fallor, soluta iam sunt praecipua momenta, quibus recentiores magni nominis Critici Graecorum Codicum fidem labefactare tentarunt. Unum illud silentio praeterire non debeo, quod Marc. I. 2. apud Graecos hodie legitur ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις *Sicut scriptum est in Prophetis*; cum tamen Latini constanter habeant *Sicut scriptum est in Esaia Propheta*. Consentiunt Syrus, & antiquissimi interpretes [1]. Nec vero Porphyrius homoversutus locum suspectum adversus Christianos disputans protulisset, aut illi in nodo hoc solvendo multum laborassent. Atqui eandem ipsam lectionem & ego laudo, & ita Ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ *Sicut scriptum est in Esaia Propheta* lectum olim fuisse a Graecis auctoritate Irenaei (*c*) contendo, quemadmodum etiam modo referunt Codices emendatissimi, ut videri potest apud Cl. nostratem Marchionem Velesium, & Lucam Brugensem.

XIII. Contemnenda heic non est difficultas, quae oritur ex Matth. C. XXIII. 35. ubi Zacharias, qui inter templum & altare fuit occisus, filius Βαραχίου appellatur. Depravatos Codices nonnulli conqueruntur, quod historiae veritatem animo comprehendere nequeant. Imperitiam aperte fateri satius iis foret, quam eam in calumniam sacri Textus vertere. Ego vero vetustatem lectionis, quam tuentur magno consensu Graeci omnes,

(*a*) In Exposit. Symboli, quam primus vulgavit Blanchinus.

(*b*) In Lib. Complex. a Scipione Maffeio edito.

(*c*) Citat hoc eodem modo testim. Videatur Grotius in Adnotat.

1 Hugo Grotius Arabem pro hac sententia refert; sed ego multo aliter in ea versione haberi video: كما هو مكتوب في الانبيا. *Prout scriptum est in Prophetis*. Itaque Grotii viri alioqui linguarum peritissimi μνημονικὸν puto ἁμάρτημα. Quoniam autem ingenui est hominis eos, per quos didicimus, opportune profiteri; honoris gratique animi adversus mearum Thesium censorem mihi designatum Cl. Augustinum Georgium publicum in Romano Archigymnasio Sacrae Scripturae Professorem Ord. S. Aug. caussa heic adiungam ea, quae vir eruditissimus mecum perhumaniter communicare dignatus est. In Evangeliis Viennae an. 1556. lingua Syriaca editis legitur *Sicut scriptum est* ܒܐܫܥܝܐ ܢܒܝܐ *in Esaia Propheta*. Ceterum in antiquissimo Codice, qui asservatur in Bibliotheca Angelica ex Graeco in Syriacum verso, & a Thoma Eraclea an. 616. cum tribus probatissimis Graecis exemplaribus Alexandriae apud Sanctum Antonium collato habetur *sicut scriptum est* ܒܢܒܝ̈ܐ *in Prophetis*. Quidni ergo in diversis Arabicis Codicibus contingere potuit id, quod & in Syriacis contigit; ut ideo in aliquo ex iis, quos consuluit Grotius, Codice legeretur *in Esaia Propheta*?

omnes, omnesque Interpretes, sic defendo, ut teneam Barachiam alio nomine appellatum *Ioiadam* etiam fuisse; quod quidem in Codice Hebraeo Nazarenorum diserte apparet. Hanc opinionem egregie illustrat Hugo Grotius pluribus exemplis, quibus liquet, apud Hebraeos in more positum fuisse, ut nomina in alia eiusdem aut vicinae significationis mutarentur [1].

XIV. His circa Graeci Textus integritatem constitutis, inquiri nunc posset, an omnes Novi Foederis libri Graece primo scripti fuerint. Absque ullo discrimine multi ex Recentioribus asserunt, qui tamen vehementer falluntur; quandoquidem antiquissima Patrum tam Graecorum, quam Latinorum traditione compertum est Matthaeum Hebraico idiomate suum Evangelium adornasse; adeo ut Hieronymus plura nactus fuerit Hebraica illius exemplaria. Hebraica vero lingua, quae tunc temporis apud Iudaeos obtinebat, valde corrupta erat, & ad dialectum Syriacam multum propendens. Hoc ipsum patet ex verbis illis Christi D. e Cruce pendentis apud Matt. C. XXVII. 46. Ἠλὶ Ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανί *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquisti me*: quae quidem Syriaco idiomate prolata esse docent Lucas Brugensis, Lirinus, & certissime constat, eo quod hebraice aliter efferri debuissent, ut exstant videlicet Psal. XXI. אלי אלי למה עזבתני. *Eli Eli lama hkazauthani*. Heic autem ὡς ἐν παρόδῳ animadvertendum, nomen *Nazareni* in titulo Crucis Christi eiusmodi litteris ניצרי, non vero cum *Zain* נוזרי, ut vulgo creditur, scriptum fuisse. Perspicue id ostendit inter alios doctissimus Morinus: unde primi Christiani appellati נצריא, & ipse Jesus כוצרים. Illustrari potest Morini sententia ex Arabico Interprete, qui Johan. XIX. 19. habet الناصري.

XV. De Epistola ad Hebraeos qua lingua & illa exarata fuerit, nondum certo constat; quamvis elocutio, dicendique modus hebraicum sermonem vehementer oleant: accedunt plurimorum veterum suffragia. Quocirca eam opinionem vero maxime

1 Non longe eorum nominum significatio distat; Barachias enim hebraice ברכיה explicatur *Benedicens Domino*, aut, *genuflectens Domino*; Ioiadas autem Hebraeis יהוידע *Domini scientia*, vel *Domini cognitio*. Quemadmodum Rex Salomon שלמה *Pacificus* appellabatur etiam Iedidias ידידה id est *amabilis*. Legatur Grotius in Commentariis, qui & opportune monet, caussam nullam esse, cur hac in re Nazaraeorum, aut Ebionitarum fides arguatur; cum eorum Codices hoc etiam loco Hieronymus ipse consuluerit.

xime consentaneam existimo. Eius vero Epistolae auctorem Paullum Veteres omnes [1] explorate agnoverunt; ut certe indignum sapientis gravitate atque constantia videatur, quod Erasmus, quem alii sequuntur, caussam actam & penitus conclamatam in dubium vocaverit. Restiterunt olim eidem Epistolae Latinorum nonnulli, quod putarint, falso tamen, ut Hieronymus animadvertit, testimonia ibi proferri, quae in Hebraicis Codicibus non habeantur; adeoque haud omnino certum est Paullum ex versione τῶν ό antiqui Foederis testimonia in epistola citasse, quod nimium confidenter a Recentioribus assertum video.

XVI. Variantes lectiones in Graecum textum haud secus ac in Hebraicum irrepserunt; quae tamen eius fidem nihil minuunt, cum rebus insint non omnino necessariis, aut certe recto Critices usu verior a falsis lectio, accedente Ecclesiae auctoritate, discerni possit. Hinc etsi verba illa Matth. IV. 10. Ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ *abi post me Satana* hodie in multis libris legantur, nec aliter a Cl. Hispalensi Montano in celeberrimis Bibliis Regio-Hispanicis edita sint; cum tamen illud ὀπίσω μου in aliis codicibus non exstet, nec ejus meminerint Patres Origenes, Chrysostomus, Euthymius, Syri, Latini cum Hieronymo, merito confodiendum erit. Contra vero Cap. praecedenti v. 11. Iohannes de Christo, inquit Αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. Verbum πυρὶ omittunt Theophylactus, Euthymius, atque septem Codices Parisienses. At id erasum ab aliquo imperito odio haereticorum, qui in conferendo Baptismate igni seu cauterio utendum contendebant, nullus dubito, veterum omnium Chrysostomi, Hilarii, Hieronymi, Syrorum, Latinorum suffragio de vera lectione certior factus.

XVII. Ad hunc locum spectat comma illud orationi Dominicae superadditum. Matth. VI. 13. Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, & Arabs لانّ لك الملك والقوة والمجد الى الابد امين *Quoniam tuum est regnum, & potestas, & gloria in saecula saeculorum*. Totum hoc alienum esse a textu animadvertit iam ipse Arias Montanus, & patet ex Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Ambrosio, Augustino; sed & iam inde a multis saeculis Graecos codices occupasse, inde discimus, quod a Chry-

1 Tertullianum excipio, qui Barnabae tribuendam putavit.

a Chrysostomo fere omnes Graeci Auctores δοξολογίαν illam admiserint. Coepit autem in Evangelio scribi postquam solemnis precandi consuetudo seu λειτουργία formam certam apud Graecos acceperat: nam Latinis omnino ignota fuit *doxologia*. Sed & ἀμὴν apparet non a Christo additum, sed ex more veteris Ecclesiae publicas preces ea voce approbantis. Nec alia fuit caussa, quamobrem Graeci adnectere consueverint Salutationi Angelicae ὅτι σωτῆρα ἔτεκες τῶν ψυχῶν ἡμῶν *quia servatorem peperisti animarum nostrarum*, quae certe nemo Evangelii verba putavit.

XVIII. Plurima eiusmodi documenta peti possunt ex Luca Brugensi, quaeque mihi recensere non est otium; superius enimtradita abunde ostendunt, qua ratione critice in iis rebus exercenda sit, & cum laude tractanda. Nunc quaedam ex textu Graeco loca, quae ad illustrandam Catholicam Religionem videbuntur opportuna, indicare constitui. Principio quidem Christum Dominum recenter natum a Magis longissimo terrarum intervallo ex eorum Toparchiis stellae praefulgentis ductu Bethlehemum appulsis, eo cultu religioso, qui Deo unice tribuatur, adoratum fuisse uberrime ostendunt & eorum munera,& actus, & verba; potissimum phrasis illa Matth. II. 11. Καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ [1] *Et procidentes adoraverunt eum.* Afferant Sociniani similem loquendi modum ex Novo Testamento, quo cultus Deo proprius non significetur, & tunc minus imperite effutire poterunt Magorum adorationem Christo infanti praestitam fuisse tantum civilem. Egregie autem, & erudite hoc argumentum adversus Samuelem Basnagium institutum versavit Fassonius noster peculiari dissertatione superiore anno vulgata.

XIX. Vox Λύτρον ubi occurrat apud divinos Scriptores, atque de Christi redemptione agatur, proprie debet intelligi, atque ita quidem ut significet verum pretium pro debitis totius humani generis solutum a Christo Domino, qui proinde vere munus hominum Redemptoris sustinuit. Abeant ergo Grotius, Socinus, Crellius, qui damnatas dirisque devotas perniciosissimas opiniones importune iterum suscitarunt. Abeat Clericus, qui suis grammaticis coniecturis dubiam huius vocis significationem reddere tentavit callidissime, merito hac in

1 Vehementius idipsum Arabs expressit vertens خرّوا له سجّدا *Et procubuerunt ei adorantes.*

in parte confutatus a Theophilo Canzio recenti ex Protestantibus Theologo; qui ait (*a*) : *Quam primum satisfactionis necessitas ostensa est, intelligitur λόγου significationem pretium innuere propriissime dictum.*

XX. Iohannes Apostolus initio sui Evangelii λόγον appellat *Verbum divinum*, non voce usus Platonica, ut contendit Clericus (*b*), sed quod alia vox apud Graecos non inveniretur ad declarandam Filii increati naturam accomodatior. Nec subiecit huic voci notionem Hebraeis omnino novam. Nam etsi Philo Iudaeus, qui passim eam usurpat, Platonicorum dogmatum fuerit tenacissimus assertor, & Platoni vera eius nominis potestas nunquam affulserit; potuit tamen Philo ex divinis scriptis, aut ex traditione, quae forte apud doctiores Iudaeorum atque magis religiosos viguit, λόγον recte intelligere, ut in eius libris haud obscura eius rei vestigia deprehenduntur. Opinio ista veterum Patrum auctoritati valde consentiens mihi multo probabilior videtur.

XXI. Verbis illis Actor. XVI. 14., ubi vocatio Lydiae narratur ἧς ὁ κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου *cuius Dominus aperuit cor intendere iis, quae a Paullo dicebantur* emphasin magnam involvi fatebuntur quotquot sint idiomati sacrorum librorum assueti, & ex animi sententia loqui velint: iis enim eiusmodi locutiones vim quandam, qua interna divinae gratiae efficacia aptissime exprimatur, habere videbuntur. Nec mihi aliquis obiiciat magnorum cetera Criticorum Capelli, Hammondi, Clerici, qui contra locuti sunt, nomina; ii enim odio in Catholicos incensi rebus perspicuis tenebras obducere undique conati sunt, atque ut externam Evangelii praedicationem ad fidem, quae etiam in salutem operetur, sufficere sustinerent, nullum non moverunt lapidem.

XXII. Actor. XVII. 23. habetur quod praeteriens Paullus invenerit aram Athenis positam, cui inscriptum legebatur Ἀγνώστῳ Θεῷ *Ignoto Deo*. [1] Negat Hieronymus (*c*) inscri-

(*a*) Usus Philos. Leibn. & Wolf. §. 718.
(*b*) Ars Crit. P. II. S. I. C. XV. & Epist. Crit. VII. & VIII.
(*c*) In Epist. ad Tit. C. I.

1 Hanc eandem inscriptionem laudat inter alios Syncellus, qui aram ab Atheniensibus excitatam memorat ob crudelissimam famem, qua illi circa Olymp. CCV. laborarunt. Adesis Rmum P. Corsinum mei Ord. supremum moderatorem, qui

ſcriptionem arae, quam Paullus refert, habuiſſe *Ignoto Deo*; ſed *Diis Aſiae & Europae & Africae, Diis ignotis, & peregrinis*: alii autem volunt *Diis ignotis & peregrinis*. Ego quidem non omnino conſideratos arbitror eſſe omnes, qui Paulli inſcriptionem mutare, aut ut minus accuratam emendare contendunt, cum ea ſatis ſibi conſtet, atque validiſſimis fulta praeſidiis conſiſtat. Athenienſes autem nomine *Ignoti Dei* Deum verum, quem a Philoſophis eorum popularibus, forſan etiam a Iudaeis ἄῤῥητον, καὶ ἀνεκφώνητον ineffabilem eſſe intellexerant, coluiſſe, Baronius (*a*), Lorinus, aliique noſtri temporis graviſſimi viri egregie opinati ſunt [1]. Quocirca Clemens Alexandrinus, atque Auguſtinus diſerte aſſerunt Athenienſes unum Deum verum licet ſibi ipſis ignotum adoraſſe.


XXIII. Mihi denique explicandum ſumo locum illum Luc. XXXIII. 44. Ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης· καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος *Erat autem hora quaſi ſexta, & tenebrae factae ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam; & obſcuratus eſt Sol*. Quibus verbis certo certius intelligere licet, tenebras, moriente Chriſto Domino, non Iudaeae tantum, ſed univerſis etiam, qua late patent, incubuiſſe terris; & unam celeberrimam hanc Solis Eclipſim plurimis fuiſſe inſignem prodigiis. Quae omnia inſigni eruditionis copia more ſuo perſequitur (*b*) Canus Epiſcopus Canarienſis nobiliſſimus ex Ordine Praedicatorum Theologus. Eius autem Eclipſeos Phlegon Hadriani Libertus mentionem iniecit: tenebrarum etiam meminerunt Thallus apud Iulium Africanum, eiuſque prodigii monumenta in Archiva Ethnicorum fuerunt illata, quemadmodum Tertullianus (*c*), Lucianus (*d*), Hieronymus (*e*) apertiſſime teſtantur.

qui in immortali Opere Faſt. Att. T. IV. ad Olymp. CCV. more ſuo, hoc eſt eruditiſſime, locum illuſtravit.

(*a*) Annot. ad an. Chr. 51. quem conſule. (*b*) Lib. XI. C. 2. Vid. Huetius Dem. Evang. Prop. II. num. 8. (*c*) Apolog. C. XXI. (*d*) Apud Ruf. Lib. IX. Hiſt. Euſeb. C. VI. (*e*) In Matth. XXVII.

1 Habeto verſionem Arabicam, ex qua tota ſententia illuſtratur للاله الذى لا يُعرف *Deo qui ignoratur*.

PARS



PARS III.

De vetere Hiſpanae Eccleſiae dignitate.

I. ERQUAM mihi gratum eſt atque iucundum de vetere Hiſpanae Eccleſiae dignitate diſſerere, quod ibi viri ſummi magno numero claruerint, qui rebus ſapientiſſime geſtis eam nobilitarunt. Atque principio quidem originem illa repetit ab ipſis Apoſtolis, a quibus veluti puriſſimis fontibus, quemadmodum Magnus Hieronymus memorat (*a*), Religionis Chriſtianae hauſit exordia. Hi autem Apoſtoli ſunt Iacobus Maior, & Paullus, qui, ut perpetua a Maioribus noſtris ducta traditione conſtat, Chriſti Evangelium in Hiſpaniis praedicarunt. Nec moror recentiores Criticos, qui & ingenti coniecturarum agmine, & veterum Auctorum ſilentio freti Iacobum nobis eripere moliuntur: cum certe coniecturae illae penitus diſſolvantur [1], & aliunde etiam idonea ad receptiſſimam opinionem

(*a*) In Comm. ad Eſai. C. XXXIV. Conferatur cum Comm. in Epiſt. ad Roman. C. XV.

1 Auctorum nobis adverſantium argumenta ſatis ſuperque diluerunt Patres Bollandiani ad diem XXV. Iul. & in Supplem. ad Menſ. Auguſti, & Cl. noſtras Henricus Florezius *Eſpaña Sagrada* Tom. III. & T. VI., ubi Cl. Mamachii conatibus Antiq. Chriſt. T. II. C. XXIII. occurrit. Vellem ipſum ſedato animo conſulerent Recentiores, nec alii in aliorum ſententiam quaſi pedibus irent.

nem tuendam testimonia [1] proferri possint. Ad Paullum vero quod attinet, eum tandem in Hispanias promissi (*a*) memorem concessisse, Clementis Romani, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Iohannis Chrysostomi, Hieronymi, Gregorii Magni, Theodoreti (*b*) omnium fere Patrum vox est. Id ipsum luculenter illustravit, atque extra omnem dubitationis aleam positum esse novissime ostendit Cl. Mamachius O. P. acerrimi iudicii vir, & in Antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimus (*c*).

II. Primi tamen Hispaniarum Ecclesiarum proprii Fundatores merito suspiciuntur septem Episcopi Torquatus, Ctesiphon, Indaletius, Secundus, Euphrasius, Caecilius, Eficius, [2] a Beatissimis Petro & Paullo Apostolis ordinati, atque in Hispanias circa ultima Neronis tempora directi: quorum opera tantum fidei catholicae accessit incrementum, ut saeculo integro nondum elapso *omnes Hispaniarum terminos* Christo iam subditos asseruerit Auctor σύγχρονος Tertullianus (*d*) post Iustinum (*e*), & Irenaeum (*f*); quorum testimonia perpendens Baronius (*g*) temperare sibi non potuit, quin Ecclesiam, quae tunc erat in Hispaniis, appellaret *florentissimam*. Unde omnino inconsiderate scripsit Sulpicius (*h*) non nisi post Aurelianum, qui Imperator renuntiatus est an. Chr. 280. Dei Religionem trans alpes fuisse susceptam; secus ac de Evangelii iam inde a primis temporibus propagatione per universum terrarum

(*a*) Ad Roman. XV. (*b*) Consule Schelstratium Antiquit. Eccl. T. II. Disc. IV. C. VII. (*c*) Antiq. Christian. T. II. Lib. II. p. 287.
(*d*) Adversus Iudaeos C. VIII. (*e*) Contra Tryph.
(*f*) Lib. I. C. X. (*g*) Annal. T. I. ad an. Chr. LXIX.
(*h*) Hist. L. II. C. XLVI.

1 In Officio Toletano antiquissimi ritus S. Iacobi in Hispanias accessus hymno sacro recolitur, quem quidem ante Corporis inventionem confectum esse, quidquid contra Cenius praeclare alioqui de Hispanis meritus contendat T. I. C. II., argumento invictissimo ex Ritu Gothico mihi videor tandem deprehendisse. Stat etiam pro Hispanis Sanctus Ecclesiae Doctor Isidorus Lib. de ort. & obit. SS. LXXII. Negant hodierni Critici Isidoro laudatum opus. At nemo huc usque documentis, quae in eius defensionem proposuit Cl. nostras Nicol. Antonius Bibl. Hisp. T. I. L. V. C. IV. respondere potuit. Itaque opus etsi forte aliquatenus vitiatum Isidoro vindicandum censeo. Affertur etiam a Nostratibus pro Iacobi adventu testimonium Iuliani Toletani, Valafridi, & Martyrologium Florentinii. Vid. Florezius ubi supra.

2 Huius Historiae fidem facit codex ille antiquissimus Conciliorum Hispan. ante octingentos annos scriptus apud Iohan. Pin. Act. SS. Tom. VI. tract. praev. n. 9. In Martyrol. antiquiss. ad diem XV. Maii apud Bolland. ibidem; & Gregorius VII. Epistol. LXXXIV.

rum orbem, ac potissimum per Hispanias superiores Scriptores tradiderant. [1]

III. Huic rei plenissimam lucem afferunt duo clarissima inter alia monumenta: Concilium videlicet Eliberitanum, & uberrima Martyrum seges persecutionum tempore Christo ab illis Ecclesiis consecrata, quorum laudes cecinit celeberrimus Poeta Caesar-Augustanus [2] Aurelius Prudentius. Ante alios celebrat ille Hymno V. περὶ στεφάνων Vincentium Diaconum, qui Valentiae Edetanorum nobilissimum triumphum reportavit anno CCCXLII. Aerae Hispanicae [3], aut 304. Aerae vulg. Chr. sub Maximiano Herculio, cui Hispania parebat, quidquid contra effutiat Dodvvellus. Sanctissimi Levitae Patria, de qua religiose inter se se concertant Hispani, certissima est Prudentio Caesar-Augusta; quod ex Hymno IV. [4], quo hanc Ur-

1 Errorem Sulpicii notavit Politus noster in Comment. ad diem XXIX. Ian. *Martyr. Rom.* n. 7.

2 Qui hymnum IV. de XVIII. Martyribus Caesar-Augustanis sedato animo legerit, dubitare non poterit, quin ea fuerit eius Patria. Miror doctiss. nostratem Nicolaum Antonium rem certam in controversiam revocasse; an erat in hoc studio partium non nihil serviendum?

3 Utemur Epocha genti nostrae propria, Aera videlicet Hispanica apud Chronologos celeberrima, quae initium ducit ab anno, quo facta a Triumviris totius Orbis partitione & a Senatu approbata Caesar-Augustus Hispanis imperare coepit; quod contigit An. Per. Iul. 4676. Urbis C. 716. annis 38. ante Aeram Christi vulgarem, quod tenendum esse nuper laudatus Auctor Florezius demonstravit adversus Cl. Marchionem Mondexarensem, qui ut erat in his rebus accuratissimus anno integro mutandam esse putaverat.

4 Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris......
Inde Vincenti, tua palma nata est
Clerus heic tantum peperit triumphum
Heic Sacerdotum domus infulata
Valeriorum. *Paullo post.*
Nonne, Vincenti, peregre necandus
Martyr his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua.
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota...

No-

Urbem eius Patriam collaudat, adeo manifeste deducitur, ut locus dubitandi nullus relinquatur. Id ipsum Graecorum, queis Vincentii dies festus fuit maxime sollemnis, Menologia, Basilii Porphyrogennetae (*a*), & Menaea luculenter ostenderunt.

IV. Alterum argumentum, quod indicavimus, est Concilium Eliberitanum, aut verius Illiberritanum, & vetustate, & rebus in eo definitis, & Episcoporum numero nobilissimum, nostraeque Hispaniae honorificentissimum, habitum priusquam pax Ecclesiae reddita fuisset Maximiano imperante circa annum Aer. Hisp. CCCXLI. vulg. Chr. 303. labente vere. Ea est Epoche Cardinalis Aguirrii, quam ceterorum Chronologorum calculis praeferendam existimo. Certe qui eius tempus post Constantini conversionem reiiciunt innumeris implicantur difficultatibus, quas miror Archiepiscopo Tarraconensi summo critico non occurrisse. Urbs ea, ubi celebrata est Synodus, sita olim fuit in Provincia Baeticae prope Granatam, cui honorem eius Concilii deferendum esse, non vero Illiberi Narbonensi opinatus est magno rationum pondere commotus doctissimus Ferdinandus Mendoza habita ea de re singulari dissertatione. Integris LXXXI. Canonibus multa aeque ac utilia Ecclesiasticae disciplinae capita prudentissime stabiliverunt Episcopi XIX. numero, qui ex tota Hispania in unum illum locum convenerant.

V. Adfuit autem inter alios eidem Concilio Magnus ille Episcopus, *Synodorum princeps, qui formulam Fidei in Nicaena Synodo concepit, & Arianos ubique pro Haereticis traduxit* (*b*), qui auctor fuit Constantino Magno, ut Religionem Christianam amplecteretur (*c*), Hosius, inquam, Cordubensis Episcopus. Praefuit vir celeberrimus Concilio primo Genera-

li

Noster & nostra puer in palestra. *Inde;*
Tuque, Vincenti, cui sanguis hinc est
Fons & honoris.

(*a*) Men. Bas. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἄθλησις τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Βικεντίου Διακόνου. Ἀπὸ Αὐγουστοπόλεως ἦν οὗτος. *Eodem die triumphus Sancti Martyris Vincentii Diaconi. Caesar-Augustanus hic erat.* Et Menaea de Vincentio: Οὗτος ἦν . . . . ἀπὸ Αὐγουστοπόλεως ὁρμώμενος. *Hic erat Caesar-Augustae ortus.* Haec & alia videri possunt apud magnum Philologum Politum nostrum, qui ea primus omnium collegit in Martyr. Rom. Comm. ad diem XXII. Ian.

(*b*) Verba sunt Athanasiii in Epist. ad Solitar.

(*c*) Baronius ad ann. CCCXXIV. ex Zosimo L. *II.* p. *685.*

li Nicaeae adversus Arianos coacto, nomine Silvestri Romani Pontificis [1]. Praefuit & Sardicensi sub Iulio Papa [2]. A fide Catholica, quam ubique acriter defenderat, nunquam defecit [3], nec contra Athanasium (*a*) subscripsit, quamvis nullum non movissent lapidem Ariani, ut id a constantissimo Sene extorquerent. *Moriturus etiam Arianam haeresim condemnavit, vetuitque eam a quoquam probari ac recipi* (*b*). Putidam ergo fabellam, quae de eius obitu apud Isidorum (*c*) legebatur, laciniam esse Luciferianorum opera intrusam assutamque nullus dubito; cum certe ab Athanasio audiat *Abrahamicus senex*, *vita irreprehensibilis*, & ἀληθῶς ὅσιος *vere Hosius*, *vere sanctus*; adeo ut ab Ecclesiis Orientalibus tanquam Sanctus colatur, eiusque mentio & in Menologiis Graecorum (*d*), & in Kalendario Syriaco (*e*) habeatur vel maxime honorifica.

VI. Hosio sanctissimo Confessori Laurentium adiungo Martyrem

(*a*) Athan. ad Solit. (*b*) Athan. ibi. (*c*) Adesis Tillemont. T. VII. tit. Osius *Art. 9.* & Contin. Boll. vit. S. Athan. cap. 21. n. 251.

(*d*) Menae. ad diem XXVII. Augusti: Menolog. Metricum: Menolog. Cardin. Albani: Martyrologium Taurinense MS. Bolland. *Sancti Patris Hosii Episcopi Cord.* meminerunt. (*e*) De Kalendario Syriaco ad V. Novembr. vide quae exstant apud Nic. Anton. Bibl. Hisp. T. I. L. II. C. I.

1 Negat Blondell. in Apol. Gen. Franc. sed habemus testimonium Eusebii apud Ratram. Corb. L. IV. C. 8. Tom. II. Spicil. Dach. & colligitur ex Athanasio citato, Severo Sulpicio Hist. L. II. Hinc primus omnium subscripsit.

2 Appellatur ab Athanasio eius Synodi *προήγορος* princeps, ductor.

3 Sanctissimi viri famam obscurare tentarunt Donatistae, Ariani, Luciferiani pessimae fidei homines. Illorum calumnias refellit Sanctus Augustinus L. I. contra Epist. Parmen. C. VIII. & L. de unic. Bapt. C. XVI. ut certe supervacaneum foret caussam omnino confectam peragere. Paullo difficilius est Hosium vindicare ab Arianorum imposturis; aiunt eum, exemplum formulae Syrmiensis conscripsisse. At vero cum in exemplari latino eius Synodi nullus haberetur titulus, ut ex Athanasio Lib. de Synod. & Socrate L. II. C. 30. certo liquet; quis non videat titulum illum Arianorum maledicentia Versioni Graecae affictum fuisse? Hilarius in Phrygia exulans Arianis circumdatus Hosium in titulo posuit ab illis deceptus. Leg. PP. S. Mauri in Oper. Hilar. col. 1155. & P. Ceillier Histoir. T. IV. C. 14. n. 7. Communionem cum Ursacio & Valente, quam Hosio tandem exprobrant, eam fuisse tantum civilem aio, quaeque SS. Basilii, Martini, Eulogii exemplo defendi penitus potest. Consulantur Athan. Apolog. II. & Epist. ad Sol. Epiphan. advers. haer. L. III. haer. 73. n. 14. & Sev. Sulp. L. II. Sed & omnium uberrime caussam egit eruditiss. nostras Florezius Ord. S. Aug. *Espan. Sagrad.* T. X. Tract. 33. C. 5. quem legant Recentiores, & postea Hosium condemnent.

tyrem invictissimum, quem civem nostrum Hispani longa saeculorum serie nemine reclamante venerati sumus, quamvis Romae Martyrium subierit. Sed heri aut nudiustertius, ut ita loquar, Cl. Blanchinus vir praeclare de Antiquitate Ecclesiastica meritus cum de Sacramentario Veronensi a se primum edito, notisque illustrato dissereret, Laurentium Romana Civitate donandum, Romanorumque popularem pronuntiavit. Cui tamen opportune occurrit Cl. Franciscus Perezius Valentinus (a) divinarum humanarumque litterarum scientissimus, qui opinionem immaturam penitus profligavit; auctoritatem Sacramentarii, quod Leoni Magno tribuendum putaverat Blanchinus, valde infirmam, immo eo loco, ubi de Laurentio agitur, omnino nullam perspicue ostendit, & quasi postliminii iure nobis Laurentium restituit. Vindicavit similiter Hispanis Damasum Romanum Antistitem, quem Hispania ipsa fecunda Heroum mater dedit, ut in Cathalogo Feliciano, & Anastasio Bibliothecario diserte traditur; enodatis quibusdam coniecturis, quibus post Tillemontium aliqui Biographi paullo liberiores monumenta, vel ab ipsis Heterodoxis honori habita traducere non sunt veriti.

VII. Ipso eodem tempore, quo Constantinus imperabat, Caius Aquilinus *Iuvencus nobilissimi generis Hispanus Presbyter scripsit quatuor Evangeliorum libros Hexametris versibus* (b); atque (c) omnium primus res sacras carminibus nobilissime versavit; exemploque praeluxit Prudentio, Sedulio, Aratori & ceteris eiusmodi Vatibus: unde magna laus Hispaniae nostrae accrescit, quae primum Poetam sacrum suum indigenam veneratur. Eum multo eruditiorem existimavit (d) Barthius, quam vulgo alii putent, quamvis stilum premat, & verba ipsa Sacri Evangelii retinere laboret. Itaque nimis acre videtur Ludovici Vivis iudicium, quod de Iuvenco exstat Lib. III. de tradendis disciplinis.

VIII. Difficillimis illis ante Constantinum temporibus nulla videtur inter Episcopos Hispanos agnita Hierarchia, ita ut alter

(a) Binae dissertationes Romae MDCCLVI. a Cl. viro, publico rei litterariae bono Hispanis dato, editae consulantur: nec dubito, quin Lector quicumque ille sit veritatis amans in nostram sententiam concedat.

(b) S. Hieronym. de Scriptor. Ecclesiasticis.

(c) Primus enim docili distinguens ordine carmen
Maiestatis opus metri canit arte Iuvencus.
Venant. Fortunat. initio vit. S. Martini.

(d) Lib. XXI. Advers. C. V.

alter alteri dignitate praeeminere putaretur, quod exemplo Martialis, & Basilidis, quorum caussa ad Episcopum Carthaginensem delata fuit, perspicue ostendit Ferdinandus Mendoza (*a*). Quo loco reprehendi merito debet Cl. Veteris ac Novae Disciplinae auctor Thomassinus (*b*), qui Canone LVIII. Conc. Illib., ubi de litteris communicatoriis ab Episcopo *primae Cathedrae* examinandis decernitur, adductus oppositum existimavit. Quae tamen verba non Metropolitanum, ut ille sibi persuasit, sed Seniorem Episcopum indicare iis etiam notum est, qui veterem disciplinam vel summis labris delibarunt.

IX. At vero post Constantini sanctionem, quae an. Aer. Hispan. CCCLXX, Chr. 322. edita est [1], Hispania in quinque Provincias [2] divisa, in ea quinque similiter Metropoles Ecclesiasticas agnitas fuisse Tarraconensem scilicet, Carthaginensem, Baeticam, Lusitanam, Bracarensem pro comperto habetur; ut ita deinceps ad Metropolitanos ea deferri consueverint, quae prius Episcopi *Ordinatione* antiquiores exercuerant; & Ecclesiasticarum rerum disciplina, quae saeculo illo & sollemni templorum dedicatione, & novarum sedium Episcopalium accessione magnum incrementum nacta est, coeperit secundum Nicaenos Canones vigere. Hinc *Caussae maiores* Romam deferebantur, quemadmodum Patres Sardicenses decreverant; quod constat ex *definitiva sententia* in Concilio Toletano Primo adversus Paternum Bracarensem Episcopum lata. Fidem huic documento praestare detrectant Quesnellus, Natalis Alexander, Antonius Pagius, qui tamen facile refelli possunt cum ex Chronico Idatii, tum ex Epistola II. S. Innocentii; nisi haec forte ad aliud Concilium referenda sit.

X. Eorum autem, qui puram putam Hispanae Ecclesiae formam intueri cupiunt, plurimum interest monumenta minus certa a sinceris secernere. Quocirca Decretales omnes (si fragmenta quaedam apud Patres occurrentia, & Epistolas Synodicas Damasi ad Paullinum Antiochenum excipias) ante

(*a*) In Notis ad Concil. Illib. Lib. III. Cap. 42.

(*b*) De Benef. P. I. L. I. C. 40. n. 7. & C. 3. n. 4.

1 Novam hanc Provinciarum dispositionem biennio post urbis dedicationem cum Pagio adversus superiores Chronologos, Cassiodori & Alexandrino Chronicis faventibus, ad consulatum Pacatiani & Hilariani reiicimus.

2 Omittimus Baleares insulas, & Mauritaniam Tingitanam.

ante Siricium Collectionis Pseudo-Isidorianae prorsus suppositi-tias respuo; neque ullum inde argumentum ad veterem Ecclesiae disciplinam comprobandam, quod iam doctissimi Cardinales Baronius, & Bona viderunt, afferri poterit. Cavendum, ne illarum Auctor ex Hispania repetatur, ut vulgo fieri solet; ab hac enim calumnia nostrates vindicavit eruditissimus Cenius (a), qui & post Aguirrium (b) pluribus confirmat Collectionem Canonum peculiarem, quae sensim a Praesulibus augeretur, iam inde a saeculo quarto in Hispaniis obtinuisse: id quod ex Conciliis Bracarensi I., & Toletano III. demonstrari solet. Quamobrem Petrus Constantius (c) ingenue profitetur: *magnam Hispanis laudem deberi, quod in texendis eius generis lucubrationibus Rheginones, Anselmos, Burchardos, Ivones, Gratianos, ceterosque Canonum compilatores anteiverint*. Nihil autem definire audeo de Collectione illa, quam in quinque & quadraginta distinctam Capita publici iuris fecit (d) doctissimus Aguirrius, cui certe ob eam caussam gratiae plurimae haberi debent. Vellem in idem monumentum sacrae antiquitatis studiosi diligentius inquirerent, ut collatis eorum studiis compertum tandem haberetur, num ea Collectio sit vere Isidoriana, quod Cenius (e) multo verisimilius existimavit.

XI. Paruerat Hispania Romanorum Imperio usque ad an. Aer. CDXLVII. Chr. 409., quo tempore Wandali, Suevi, & Alani Hispaniam ulteriorem devastarunt: mox, ante annum, videlicet Aer. CDLII. Chr. 414., Gothi in Hispanias descendunt Athaulpho duce, qui primus Hispaniae Rex constanter ab Historicis recensetur. Athaulpho Barcinone trucidato sufficitur Sigericus Aer. CDLIII. Chr. 415., qui quidem omnes usque ad an. Aer. DXLIV. Chr. 506. apud Tolosates Regiam constituerant. Narbonam inde sedem transtulerunt, ubi Geselicus regnum obtinuit. Non multo post Toleti Reges Gothos consedisse, ibique regias aedes collocasse, tum Theudis a coniuratis vulnere affectus in Palatio, tum Athanagildus propriam in ea urbe mortem occumbens, tum denique Sedis regiae Toletanae institutio facta a Leovigildo an. Aer. DCXXIII. Chr. 585. non obscure

(a) Antiq. Eccl. Hisp. L. I. in Praef. & alibi passim.
(b) Coll. Concil. Hispan. Tom. III. P. I.
(c) Epist. Roman. Pontif. Praef. num. 150.
(d) Conc. Hisp. Tom. III. (e) Ubi supra.

ſcure indicant. Unde animadvertendum, quod Provincia Narbonenſis Gallia Gothica dicta Hiſpaniarum Eccleſiae permanſit & Legum, & Rituum communione coniuncta.

XII. Non eſt putandum Praeſules Hiſpanos poſt Concilium Eliberitanum otio deditos nullum conventum celebraſſe. Exſtat enim inter alia Concilium primum Toletanum an. Aer. CDXXXVIII. Chr. 400. non longe poſt Caeſar-Auguſtanum habitum Coſ. Stilicone ſub Anaſtaſio Pontifice. In eo autem quatuor continentur partes; viginti Canones; Regula fidei; Exemplaria Profeſsionum; Definitiva ſententia. Quod ad Canones attinet, ipſos eidem Synodo adſcribendos contra Tillemontium (*a*) erudite oſtendit Cl. Florezius (*b*); qui rebus antiquis non minus quam obſcuris eruditiſsima diſſertatione multum luminis attulit. Regula Fidei [1] profitetur: *Spiritum quoque Paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre Filioque procedere*. Nec ea lectio ullo modo ſollicitari poteſt, cum omnes Codices in eam mirifice conſentiant. Quod quidem Dogma tunc primum ſollemni XIX. Epiſcoporum Synodo declaratum; inde vero Symbolo adiectum ab univerſa Eccleſia Nicaeae ſecundo congregata comprobatum eſt. Hinc certe ſingulari laude proſequendi omnes illi Praeſules, quod Spiritus Sancti Proceſsionem a Patre & Filio publice ante omnes definirent, & ſollemniter profiterentur. Adverſus Priſcilliani ſectatores, qui Hiſpanias perturbare coeperant, non parum opera in primis Patruini Praeſidis ibi quoque laboratum eſt.

XIII. Sed longe plurimum commendari debet S. Turibius Aſturicenſis Epiſcopus, qui omnes vires ſuas in evertendos Priſcillianiſtas contulit, quidquid oblateret Queſnellus, eoſque penitus ex Hiſpania deturbavit. Ut autem Fidei cauſſam honorificentius ſuſtinere poſſet S. Praeſul, omnium Occidentalium [2] primus a Leone Romano Pontifice litteris ad ipſum datis

(*a*) Tillemon. Tom. XV. Art. XIX. pag. 456.

(*b*) *Eſpaña Sagrada* Tom. VI. Tract. VI. Diſſert. I.

1 Ad tempora S. Leonis Regulam fidei retulerunt ſuperiores Critici; quod non animadverterent, eius Concilii Acta non eſſe autographa, ſed ab Auctore ſub finem quinti ſaeculi fuiſſe ſcripta, ut acute vidit Florezius, qua ſemel ambiguitate detecta, nihil eſt cur ea ab hac Synodo removeatur.

2 Nam in Oriente iam antea inſtituta ab Innocentio. Vid. Lucas Holſten. Col. Rom. pag. 40.

datis amplissima Vicariatus Apostolici dignitate [1] circa an. Aer. CDLXXXV. Chr. 447. Alipio & Ardeburio Coss. exornatus est: quae quidem dignitas ab iis cum *Primatu* confunditur, qui minus considerate in eam inquisiverunt, quibus annumerandi sunt Morinus (*a*), & Ludovicus Thomassinus (*b*), viri alioquin doctissimi. Nec audiendi sunt, qui post Ambrosium Morales, plaudente Aguirrio, alterum Turibium ab Asturicensi distinctum Sanctae Sedis *Notarium* comminiscuntur, per quem Pontifex ad Episcopum Turibium litteras transmiserit, cum id per Pervincum Turibii Diaconum praestitum fuisse, Idatius tradiderit disertissime.

XIV. Operam suam omnem contra Priscillianistas simul cum Turibio coniunxerunt Ceponius & in primis Idatius seu Hydatius. Hic est celeberrimi Chronici auctor Lemicensis Episcopus pietate & litteris summe omnium commendatus. Post Turibium alii etiam Antistites Vicarii Apostolici renunciati sunt; ut Zeno Metropolita Hispalensis sub Simplicio Papa, Iohannes Illicitanus Episcopus & Sallustius Hispalensis sub Hormisda; in quibus longe clarius eius dignitatis effulget conditio; quod scilicet Vicariatus non Sedi, sed Personae fuerit addictus, nec cum eadem semper iurisdictionis potestate. Hinc intelligitur singulare studium erga Episcopos Hispaniae, atque Romanorum Pontificum sollicitudo. Id ipsum confirmat celebre Rescriptum Vigilii ad Profuturum Praesulem Bracarensem, quo multa & Liturgiae, & veteris disciplinae capita continentur, datum Cos. Flav. Iohanne an. Aer. DLXXVI. Chr. 538., ut Baluzius ex Codice Colbertino testatur, die XXIX. Iunii, quo tempore mortuo Silverio Vigilius verus erat Pontifex ex Pagii Chronologia. Quî ergo ille inter Epistolas Antipapae laudatum Rescriptum referre potuit? Nec scio an gravius peccent, qui

(*a*) Exercit. Eccl. L. I. Exerc. XV.

(*b*) De Benef. Lib. I. par. I. Cap. 30.

1 Patent ea omnia ex Epistolis S. Leonis; potissimum ex Epist. XCIII. quam ab omni suspicione contra Baluzium purgat Aguirrius Tom. II. p. 220. Concil. Hispan. Expressius vero ex Chronico Idatii ad Olymp. CCVI: *Romanae* (inquit) *Ecclesiae* XLIII. *praesidet Episcopus Leo. Huius Scripta per Turibii Episcopi Diaconum Pervincum contra Priscillianistas ad Hispanienses Episcopos deferuntur. Inter quae ad Episcopum Turibium de observatione Catholicae Fidei, & de haeresum blasphemiis disputatio plena dirigitur*. Dubitavit Loaisa de legationis effectu, & navata in Haereticos opera; sed potuit rem totam intelligere ex verbis Montani in Synodo Toletan. II., quibus nihil Turibio honorificentius.

qui documentum illud cum Baluzio lacerant, an qui ei lacinias cum Dupinio adsuunt (*a*)?

XV. Ea tempestate, qua Catholicos acerrime vexabant Ariani, nonnulla Concilia celebrata leguntur. Toletanum II. an. Aer. DLXV. Chr. 527. sub Montano Metropolita Chartaginensi. Illerdense an. Aer. DLXXXIV. Chr. 546. novem Episcopis ornatum. Valentinum, cuius Epochen recte ad eundem annum retulit doctissimus Aguirrius, reclamantibus Binio, Labbeo, Cossartio, queis fucum fecerunt nonnulli depravati Codices, qui in Isidoro Theudem pro Theodorico referunt [1]. Quod ad Provinciam attinet, litem sub iudice reliquit Aguirrius; sed Pagius Valentiam Edetanorum eam esse pronunciat, cui ultro consentio, qui non video, qua ratione dicta Synodus ab Hispanis abiudicari unquam potuerit. Concilium Bracarense circa annum Aer. CDXLIX. Chr. 411., quod Labbeus ex Monarchia Lusitana Bernardi de Brito in suam Collectionem transtulit, nihil habet quod opus figlinum non redoleat.

XVI. Sed meliora iam nunc persequamur tempora Monarchiae videlicet ~~Hispanae, cuius auspicem, atque conditorem~~ Leovigildum esse testantur Iohannes Biclarensis, & Isidorus Hispalensis, in quorum oculis acta res est. Itaque Monarchiae initium ab excidio regni Suevorum, quod secundum Biclarensem contigit an. Aer. DCXXII. Chr. 584. ad diem XIV. Augusti, repetendum. Ineunte vero anno Aer. DCXXIV. Reccaredus Regum omnium Catholicorum primus (etsi forte non improbabile sit Leovigildum Catholicum tandem obiisse) Monarchiam a Patre paullo ante institutam suscepit, & post decimum regni sui mensem Catholicam Fidem amplexus est, atque inde unius anni spatio interiecto tota Gothorum gens ad eandem Fidem, eiuratis Arianorum dogmatis, profitendam Toletum concessit, Nationali Synodo congregata, operam in primis navante Leandro Hispalensi. Hinc habes, quo anno certa Regni Catholici Epocha stabilienda. Ego vero mihi temperare non possum, quin Reccaredum cum Patribus Toletanis (*b*) *Catholicum*, *Orthodoxum*, atque Regem *gloriosissimum* praedicem; tum & felicissimum eius Monarchiae statum, quem mutua Regum & Sacerdotum inter se sollicitudo,

(*a*) Adesis Cenium Antiq. Eccles. Hispan. Tom. I. Dis. III. C. IV. n. 13.
(*b*) Concil. Tolet. III.
1 Legatur Observatio P. Antonii Pagii ad an. 546.

do [1], atque animorum coniunctio singularem, & adeo faustum constituerunt, ut ne excogitando quidem aliquid praeclarius intelligi posse videatur [2].

XVII. Sollemnis Regum Catholicorum inauguratio & consecratio Episcopali manu facta oleo in verticem effuso coepit in Hispaniis, nullo aliunde praeterquam ex divinis Scripturis ducto exemplo, ante an. Aer. DCCX. Chr. 672., quo Wamba Regni solium obtinuit. Eius rei fidem integram faciunt & Concilia Toletana (a), & Iulianus (b) Auctor synchronus. Unde sacra ungendi Reges consuetudo originem ducit a Gothis Hispanis, quibus tota haec gloria vindicari debet. Iniuria Galli sibi usurpant Ducatuum, Comitatuum, Iudicaturarum Politiam; enim vero eius institutio non Franchis, sed Gothis Regibus referri debet accepta, ut vel ipsius Gregorii Turonensis testimonio, quo male utitur Ducangius, evidenter ostenditur [3].

XVIII. Nobilissimum *Catholici* cognomen, quod tanquam praecipuum Maiestatis decus Hispaniarum Regibus tribuimus, a Sixto IV., Innocentio VIII., & Alexandro VI. Summis Pontificibus instauratum iam inde suum principium derivat a Chintilane, aut potius a Reccaredo, qui ob res pro Fide Catholica praeclarissime gestas eo titulo in Concilio Nationali Tolet. III. unanimi Patrum consensu & plausu insignitus est. Ut autem Monarchia Catholica illustrius in dies effulgeret, coeperunt Principes leges Gothicae genti proprias ferre, atque inter eos primus Chindasvinthus an. Aere DCLXXXI. Chr. 643., quas quinquennio interlabente eius Filius Reccesvinthus novis latis *Forum Iudicum* sollemniter promulgavit. Quarum volumen confectum prorsus videtur Egicanis, aut Wittizae temporibus, longe post obitum Isidori, qui proinde Collectionis auctor non est appellandus.

XIX. Quan-

(a) Concil. Tolet. XII. cap. I. & sequent.
(b) Apud Duchesn. Tom. I. pag. 821.

1 *Difficile dictu in utro plus esset, quod miremur: an observantia, & humanitas Regum in Episcopos, an vicissim pronissima Episcoporum in Reges veneratio?* Thomassinus de Vet. Discipl. Part. II. L. III. C. L. num. 2.

2 Voltaire *Hist. de Charl. XII. Roy de Sved. Livr. II.* Gothicam dominationem in exemplum praesentis Polonae Reipublicae adducit; sed ille eam fingit, qualis revera nunquam fuit.

3 Eundem postea morem inde ad Franchos esse profectum libenter cum Walafrido concedimus.

XIX. Quantum sub Regibus Catholicis floruerint Hispaniarum Ecclesiae & plurima Concilia tam Provincialia quam Nationalia tunc celebrata, & summi viri Leander, Martinus Dumiensis, Iohannes Biclarensis, Fulgentius, Isidorus, Braulio Caesar-Augustanus, Ildephonsus, Eugenius, Iulianus, pluresque alii multis nominibus praeclari, qui tunc Hispanias illustrabant, perspicue demonstrant. Concilia vero Hispaniae ea dignitate saeculo septimo celebrata sunt, atque eo Ordine ut inde norma pro sacris hisce Conventibus celebrandis desumpta videatur. Nemo, arbitror, id inficiari poterit, qui Codicem Wigilanum ab Aguirrio editum puram putam septimi saeculi, & Conciliorum Hispaniensium disciplinam referentem cum Ordinibus a Mabillonio in Musaeo Italico collectis contulerit. Quî ergo non arguam eorum inconsiderantiam, qui cum Thomassino (*a*) audent Concilia illa sanctissima cum saecularibus Comitiis confundere (*b*)?

XX. At nusquam mihi magnificentior eiusmodi Conciliorum dignitas obversatur, quam ubi quaedam legum capita in eis constituta ipse mihi sisto conspicienda; Ordinum videlicet Ecclesiasticorum distinctionem & gradus (*c*); continentiam Subdiaconorum(*d*); iugem Sacrae Scripturae lectionem Clericis iniunctam(*e*); sacrorum Canonum observantiam (*f*); Templorum cultum (*g*); Canones de bigamis non ordinandis, de Episcoporum electione; aliaque sexcenta, quae potissimum in Conciliis Tolet. IV. VIII. & XII. videri possunt. Iam tum Subdiaconatui tanta reverentia exhiberi coepit (*h*), ut inde inter sacros Ordines recenseretur. Ibidem (*i*) etiam ritus, quo Episcoporum consecrationi dies Dominica sollemnis haberetur, praeclara iniicitur mentio: qua de re multo adhuc illustrius exstat documentum in Synodo Caesar-Augustana III. paullo ante Mauricam invasionem, ubi decernunt Patres (*l*) *nullatenus ullum mortalium ad Sacerdotalem officium promoveri posse, nisi tantum die Domini-*

(*a*) Discip. Vet. & Nova T. II. L. III. C. L. n. X.
(*b*) Vid. Cenium Ant. Ecc. Hisp. T. II. Differt. IV. C. IV. ubi acriter in eos, qui paullo liberius de Hisp. Conciliis scripserunt, animadvertit. Et post ipsum Florezius *España sagrada* T. VI. Tract. VI. C. II. §. IV.
(*c*) S. Isidor. apud Aguirr. T. II. p. 554.
(*d*) Concil. Tol. VIII. An. Aer. DCXXXV.
(*e*) Conc. Tol. III. c. 7.
(*f*) Ibid. Conc. I. Hispal. II. c. 2.
(*g*) Tolet. VI. c. 15.
(*h*) Conc. Tol. VIII. c. 6.
(*i*) Ibid. c. 19.
(*l*) C. I.

minica. Quae ſane preſſius urgent, quam ea, quae attulit doctiſsimus Card. Noriſius (*a*) aliique cum diem Dominicam conſecrationi Epiſcoporum adverſus Antonium Pagium vindicarunt.

XXI. Fidem praeſtant Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Rectores atque obedientiam Praelatis ſuperioribus profitentur, cum ii eiuſmodi muneribus ſollemniter praeficiuntur, quod in Pontificali Romano dicitur *Forma Iuramenti*. Eius cautionis prima & antiquiora documenta ea ſunt, quae a Conciliis Toletanis IV. XI. XII. & Emeritenſi petuntur, quemadmodum Thomaſſinus (*b*) candide aſſeruit: unde Hiſpana Eccleſia magnam gloriae laudem mihi videtur conſecuta. Fatetur inſuper idem Thomaſſinus, atque recenſens Can. XL. Conc. Tolet. IV. contendit, quod prioribus quinque Eccleſiae ſaeculis Clerici a Laicis neque tonſura, neque cultu externo diſcernebantur; ſexto autem ſeptimoque coepit laudabile id diſcrimen, coepitque in Hiſpaniis (*c*), unde tot Eccleſiaſtica inſtituta ſanctiſſime firmata auſpicato exordium duxerunt.

XXII. Sanctitati legum Eccleſiaſticarum reſpondebat populorum erga res ſacras veneratio atque munificentia; quibus factum eſt, ut complurium bonorum copia Eccleſiarum patrimonio amplificato, iam inde a ſecunda Synodo Toletana (*d*) Patres ſtatuerent, bona quaelibet Eccleſiae, aut Clericis conceſſa nulla praeſcriptione inde avelli amplius poſſe. Hinc Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo. De iure Patronatus, quod vulgo fertur inſtitutum in Concilio Toletano IX. ſub Recceſvintho an. Aer.DCXCIII. Chr. *655*. habito, ſupervacaneum agere videtur, cum tot exſtent Iureconſultorum commentaria, quibus nihil addiderunt quidam Recentiores, quod maiorem lucem Canonibus primo & ſecundo affundere poſſit. Eccleſiarum autem immunitati, quae ſumma Regum Catholicorum in res ſacras fuit reverentia, ſanctiſſime conſultum fuit, adeo ut Toletani Praeſules, *iubente glorioſiſſimo Domino Ervigio Rege* (*e*), lege caverint, ut ii, qui ad Eccleſiam confugerent, etiam ſi morti obnoxii, non eſſent inde abſtrahendi, neque iis ullum damnum inferendum.

XXIII.

(*a*) Hiſtor. Pelag. L. II. C. 24. Conſulas Caiet. Cenium in notis ad Pontificale Rom. (*b*) De Benef. Part. II. Lib. II. C. 44. n. 6.

(*c*) *Omnes*, ſtatuunt PP. Tolet., *Clerici vel Lectores, ſicut & Levitae, & Sacerdotes detonſo ſuperius capite toto inferius ſolam circuli coronam relinquant*... (*d*) Cap. 4. Expreſſius Tolet. III. can. 3. & Tol. IV. can. 38.

(*e*) Conc. Nat. Tolet. XII. c. 10. Idem ultro ſanxerant Reges Catholici: adeſis Leges Wiſigot. L. VI. tit. 4. & L. IX. tit. 3.

XXIII. Aequum etiam videtur, ut summis prosequamur laudibus Ecclesiarum Hispanarum Rectores, qui dispensatores fideles, & in pauperes munificentissimi (*a*) habebantur. Quaecumque enim Ecclesiae bona non in partes quatuor, ut in reliquis Occidentis partibus fieri consueverat, sed in tres tantum iudicaverant dividenda; quorum pars una Episcopo, altera Clero, tertia vero Ecclesiarum instaurationi consecrabatur (*b*), egestate laborantibus sive Clericis, sive Laicis ubique primo loco comprehensis (*c*). Pari ratione commendandi sunt Episcopi acerrimi legum vindices, qui ad rigorem Canonum Sardicensium, aliorumque Conciliorum criminum poenas exigebant: cuius rei exemplum in Ianuarii & Stephani Antistitum depositione apparet praesentissimum. At vero post Gregorii Magni obitum cum Langobardorum saevitia in Italia grassaretur, accessu ad Sedem Apostolicam intercepto, caussae ita in Hispania finiebantur, ut iudicia secundum Patrum iura in Synodo peragerentur; novis etiam constitutis legibus, quae ad maiorem & magis accuratam rerum cognitionem opus videbantur, ut in Conciliis Hispalensi II., & Tolet. IV., quibus praefuit sapientissimus legislator Isidorus, factum est. Itaque toto caelo diversa Hispanorum iudicia ab Africanis [1]. Dies me deficeret, si alia permulta disciplinae capita, quae Hispanae Ecclesiae immortale decus attulerunt, recensere vellem.

XXIV. Eiusmodi autem Institutorum praecipuos veneramur auctores non sine aeterna animi significatione Leandrum, & Isidorum Hispalenses fratres germanos. Illius enim auctoritate atque doctrina tota Gothorum gens, Arianorum profligatis dogmatis, fidem, Catholicam suscepit. Cui hac de caussa Gregorius Magnus ipsi summa amicitia coniunctus litteras (*d*) humanitatis & officii plenas, atque suum Pastorale & Moralia (*e*) in libros digesta misit; cui tandem sacrum *Pallium* (*f*) adhibendum concessit, stupendo ac insolito plane beneficio; non enim

(*a*) Conc. Tol. IV. c. 38. (*b*) Conc. Tol. IX. c. 6. XVI. c. 5. & Bracar. I. c. 7. (*c*) Id innuit Conc. Tolet. IX. c. 3.

(1) Vellem Thomassinus haec duo Concilia consuluisset; ex his enim facile colligitur, Hispanorum Iudicia non ab Africanis, quod acriter Thomassinus contendit, sed ex Pontificum & Patrum regulis fluxisse.

(*d*) Epistol. XLI. L. I. Regest. (*e*) Reg. L. IV. Epist. XLVI.
(*f*) Reg. L. VII. Ep. CXXV.

enim praecesserat aut Regis, aut ipsius Leandri petitio. Censent nonnulli inter eruditos magni viri sacrum hoc indumentum non nisi post Leandri obitum ad Hispanias pervenisse. Opinionem sentio multis nec vulgaribus inniti fundamentis; cui tamen oppositam praeferendam existimo. Mortem equidem Sanctissimi Praesulis praelucentibus eruditissimo Mabillonio & Breulio ad an. Aer. DCXXXVIII. Chr. 600. refero: Gregorii vero litterae simul cum Pallio absque dubio datae fuerant anno praecedenti mense Iulio, aut summum Augusto. Quod autem de Primatu, Vicariatu, & Legatione Sancti Leandri a Luca Tudensi narratur, merum est commentum fuco plenum: quod miror Morino & Thomassino emunctae alioqui naris hominibus non suboluisse. Quam absurda corollaria ex ea fabula deduxerunt!

XXV. Isidoro, quem egregium Ecclesiae Doctorem conspicua pietatis & ingenii, quae supersunt, monumenta summe commendant, vindicandus est etiam Ritus ille peculiaris, quo Hispania tam in *Officio*, quam in *Missa* celebranda utebatur. Cavendum autem ne ejusmodi Ritus Isidorianus cum Mozarabico, quem Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus ante omnes vulgavit, confundatur; aut ne a Galliis in Hispanias defluxisse credatur. Quamvis hoc postremum nonnulli homines in Liturgia versatissimi, sed studio partium nimium abrepti asserendum contenderint. Nemo harum rerum non omnino ignarus, arbitror, inficiabitur, vitio vertendum Scriptoribus cetera nobilissimis, quod opinionem veritati maxime inimicam pertinacius promoverint. Desideratur autem purus putus Isidorianus Ritus, quamvis in eo explorando sedulam operam contulerint viri ante alios eruditi Mabillonius, Lebrunius, Pinius, atque Iosephus Blanchinus. Rei difficultatem illud etiam auget, quod Liturgia Isidoriana, sicut & aliae omnes, novis accessionibus sequentibus temporibus iam ante Mauricam invasionem fuerit amplificata, opera in primis Ildephonsi, Fructuosi, atque Iuliani.

XXVI. Quoniam autem argumentum hoc mihi differenti accidit, placet duas propositiones ex Liturgia, quam Ildephonsus auxit, recensere, & S. Archiepiscopi honori pro viribus consulere; ut qui candidissima veste a B. Virgine ob defensam eius Virginitatem scriptis etiam adversus Helvidia nos editis donari promeruit, omnibus palam sit, quam etiam prae-

clare

clare de Verbo Incarnato ſenſerit. Dicitur ergo in Miſſa de Coena Domini: *Qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori*. Et in Miſſa de Aſcenſione Domini: *Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis fidem repetivit Deitatis*. Ea verba, tanquam cum Fide Catholica minus congruentia, improbata ſunt a Concilio Francofordienſi in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Hiſpaniae; atque non immerito ab illis Patribus in ſenſu Elipandi reiecta quatenus filiationem Chriſti adoptivam ex illis homo pervicax haeretice colligebat. At enim valde diverſa fuit Ildephonſi mens, atque ab Elipandi dogmatis prorſus aliena; quemadmodum apertiſsime docuit in Libr. de Virginitate B. Mar. (*a*), quique vocabulo *hominis* pro *natura humana*, excluſa hominis Perſona, notione ſuis temporibus receptiſsima uſus fuit. Itaque iniquum eſt Ildephonſum criminari, quod locutionem Patrum Hilarii (*b*), Ambroſii (*c*), Auguſtini (*d*), Hieronymi (*e*), Paullini (*f*), & aliorum eodem plane ſenſu uſurpatam adhibuerit (*g*).

XXVII. Quid igitur naturam humanam adoptivam eſſe voluit Ildephonſus? Chriſtum quoad naturam humanam filium adoptivum intellexit? Minime gentium. Sumpſit enim ibi verba haec *adoptivus*, *adoptio*, quatenus *adoptare* generatim idem eſt, ac aliquid *adſciſcere* vel *aſſumere*. Cuius quidem rei obvia Latinis (*h*) exempla, obvia etiam Eccleſiae Patribus. Celebratiſsimum eſt illud S. Hilarii (*i*) L. II. de Trinit. n. 27., quod non fuiſſe a Felice Urgellitano corruptum iam alii adverſus Alcuinum demonſtrarunt. Intelligunt nempe illi naturam humanam, ſeu carnem adoptatam, quod nos dicimus

(*a*) C. VI. & XI. docet, quod unus ſit Chriſtus, unaque perſona in naturis duabus divina & humana; quod idem & non alter ſit filius hominis, quam qui filius Dei.

(*b*) De Trinit. L. X.

(*c*) In Symb. Apoſt.

(*d*) De Praedeſt. Sanct. C. XV. de Civit. Dei L. IX. C. 17. & Lib. de Agone Chriſti.

(*e*) In Pſalm. I. & Epiſtol. ad Eph. C. IV.

(*f*) Natal. XII.

(*g*) Exſtant ea teſtimonia apud Politum in Mart. Rom. ad diem XIII. Ian. qui ea primus omnium collegit; ubi & illam propoſitionem: *Deus aſſumpſit hominem* ex Patrum auctoritate graviter ſuſtinet.

(*h*) Varro apud Nonium.

(*i*) De Deo homine pannis involuto ab Angelis laudato: *Ita* (ait) *poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*.

mus carnem assumptam. Quocirca arguendus est Elipandus, quod verba B. Ildephonsi in alienum & pravum sensum impiissime traduxerit; atque in aliam plane notionem deflexerit. Nam certe verba illa Liturgiae Hispanicae, si recte, quod infeliciter Baronio succesit, & ad sensum Ildephonsi, ut par est, intelligantur, sana sunt atque catholicis dogmatis omni ex parte consentanea: quemadmodum eruditissima dissertatione ad confirmandam Toletani Pontificis Ildephonsi gloriam Politus noster (a) uberrime ostendit.

(a) Loco laudato.

Disputabuntur publice in Ecclesia S. Pantaleonis VII. Idus Maias, data cuilibet post tertium impugnandi facultate.

FINIS.